


2
6
217














CLYPEVS SACRI APOSTOLICI ORDINIS

CLERICORVM CANONICORVM REGVLARIVM SALVATORIS LATERANENSIS

Pro manutentione iuris, vel quasi possessionis, obtinendi; & retinendi extra ordinem cum licentia Capituli Generalis beneficia Ecclesiastica sæcularia, etiam curata.

EMINENTISSIMO, ET REVERENDISSIMO PRINCIPI

D CAROLO BARBERINO

S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO

ac

Eiusdem ordinis Protectori Vigilantissimo.

D. D. D.

A. IO: F. MOSCHENO ANCONITANO.





ANCONÆ, Typis Francisci Seraphni. M. DC. LXX.

DOMINORVM SVPERIORVM PERMISSV.



EMINENTISSIME, ET REVERENDISSIME
PRINCEPS

HORTVS deliciarum conclusus Eminentiss. Princeps Lateranensis Ordo, tot vbi Rosas decerpsi, quot Martyres ipsa peperit, atquè trabea insignitos Vaticani Heroes, tot lilia, quot Virgines, tot Violas, & Calathos, quot Christi Reparatoris Asseclas, (testem si facio Ioannem de Nigra Valle) potest iure optimo prædicari; quippè qua diuini, aut Verbi præconio vniuersam Ecclesiæ superficiem in morem irrigare fluminum Paradisi, aut morum integritatis exemplo, floribus plus quam Hesperidum redolere videatur. Sed perpendendum quod magis est; cum ad huiusce tutelam Viridarij, præfloribus Carolo excubante Cherubino verè vigeat in dies beatissima Religionis iucunditas;

------- Inscripti nomina Regum
Nascuntur flores ------.
Quos neque frigoribus Boreas, nec Sirius vrit
Æstibus, æterno sed Veris onore rubentes.

Quicquid igitur planè sit Eminentiſs. Purpuratorum *decus nihil congruum in preſentiarum eſſe duxi potiſſimum, quam floſculos aliquot, exile quos ingenium excoluit* APIBVS BARBERINIS *obſequentis animi tanquam vota, nuncupare delibandos, vt ſi qui ſaltem ad Viridarium accerſerint, odorem non tam ebibant conciliantem animi nares, quam melleam Tui Nominis dulcedinem prægustent, aut Crabrones imitati fortè ſi fuerint Ariſtarchi, vbi Muſca deeſt cogantur Aculeis Apum eliminari quam primum; ſed quid? fruſtra erit a tuente Religionis agrum, meorum precari florum tutelam, cum dicitur æquè custodem ſui nactam eſſe Matrem, ac filiorum. Seruet Deus ter Optimus (quem enixè oro) nominis æternitati, & amplitudinis, quæ florilegium custodit E. T. R. Sacræ cuius fimbriam purpuræ humillimè deoſculor. Vale.*

Amice

AMICE LECTOR

HOC Opus qualecumque ſit tribus ab hinc menſibus in lucem prodire debebat: at Bononiam miſſum, ab Amico, ſine fruſtratur optato, & poſt bimenſem ferè totum notulis reſperſum remeauit ad lares. Suſcipe nunc igitur, & ſi quid dignum reperis, Deo redde gratias, quì hoc donum dedit hominibus; ſi verò nil quod tuum mereatur Amorem inuenies, dum forſan alibi guſtum expleueris, memento, quod vagans ſæpè incidit in Latrones. Valè.




Non

Imprimatur.
Fr. P. Manardus Magister & Socius Reuerendissimi P.M.S.P.A.

Imprimatur.
Fr. Petrus Maria Inquisitor Anconæ.

Imprimatur.
Ieannes Pighettus Vicarius Generalis Anconæ.



Non



ON difficili negotio (Veritatis cultores), adducor, vt credam, eandem mecum vos omnes in sentētiā manibus, pedibusque ituros ad solidam alicuius rei cognitionem acquirendā, summè necessariū esse, vt primo omnium demonstremus vtrum re vera ita se se res habeat quemadmodum supponitur, & nobis iam imaginamur. Nonne enim, oleum, & operam is omnino perderet, qui in causis alicuius Chimeræ hoc est rei ab omni veritatis fundamēto alienæ indagandis occupatior ætatem terere animum induceret? Vt igitur opus aggrediar, primo omnium ex præclarissimis, ac probatissimis Summorum Pontificum, & aliorum non infimi subsellij Authorum Mineris, calibem effodiam, quo Clypeum meum in officina veritatis construam, quem me hercle tam firmiter cōstituam, vt nemo tam sit futurus difficilis, vt illum quoque approbare grauè ducat. Atque adeo opera huius Clypei fore spero, vt contusis inde sagittis ab Ordinem insectātibus emissis, Cōgregationem ipsam Canonicorum Regularium, lateranensium, eiusque Canonicos de quibus loquor fore, & esse capaces, ac manutenendos in possessione obtinendi, & retinendi beneficia sæcularia Ecclesiastica etiam curata extra ordinem cum licen-

licentia Capituli Generalis iustitia decantet.

Et vt aliquid moliar, vt probem assumptum, præmitto in primitiua Ecclesia nullos fuisse Clericos Sæculares, sed omnes Regulares extitisse, & hoc depromitur ex cap. 4. Act. Apostol. ibi *Multitudinis autem Credentium erat cor vnum, & anima vna: nec quisquam eorum, quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia*, & Matth. cap. 19. *Ecce nos reliquimus omnia*, per quæ constat Vitam Clericorum primitiuæ Ecclesiæ fuisse Regularem, quia iuxta præceptum Domini dirigebatur. *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da Pauperibus*: cum tam Apostoli, quam discipuli relictis omnibus, quæ habebant omnia esse communia, ac ægenis distribui voluere, vt in Act. Apost. c. 4. *Diuidebatur autem singulis prout cuique opus erat*: Quare meritò Clemens Papa hoc nomine Primus qui D. Petri sucessor, & comes fuit *c. si Petrus cũ seqq.* 8. *quest.* 1. in Epistola v. discipulis directa Hierosolimis ait. *Communis vita fratres omnibus necessaria est, & maximè his, qui Deo irreprehensibiliter militare cupiunt, & vitam Apostolorum, eorumque Discipulorum immitari volunt*. Si ergo illi communiter viuendo Apostolos imitabantur; vtique opus est Apostolos quoque in communi vixisse, quia exemplar est ad formam sui Originalis: & certè si Apostoli perfectè Deum possidebant, & a Domino possidebantur vti

veri

veri Clerici in ſortem Domini vocati, credendum quoque fas eſt Clericos ſæculares tempore primitiuæ Eccleſiæ non fuiſſe, cum nec Dominum perfectè poſſideant nec a Domino poſſideantur. Neque hęc mea eſt opinio, ſed D. Hieronymi ad Nepotianum, vbi eadem ſe eſſe in ſententia teſtatur, vt habetur *in tex. in 12. queſt. 1. c. Clericus* ibi: *Quod ſi quidpiam aliud habuerit præter Dominum pars eius non erit Dominus: Verbi gratia; ſi aurum, ſi argentum, ſi poſſeſſiones, ſi variam ſupellectilem; cum iſtis partibus Dominus fieri pars eius non dignatur.* Et hinc orta eſt differentia nominis inter Clericum Sæcularem, & Regularem, quia hic vult ſua eſſe communia, ille vero propria, vt dicit *Abb. in cap. Deus qui ſub num. 2. verſ. in multis enim. De vita, & honeſtat. cleric. & concurrit text. in 12. queſt. 1. c. Quia tua* vbi ſanctus Pontifex Gregorius hortatur Auguſtinum Anglorum Apoſtolum in Eccleſijs Regni Angliæ vitam communem inter Clericos Inſtituere his verbis. *Quia tua fraternitas monaſterij regulis erudita ſeorſum non debet fieri a Clericis ſuis in Eccleſia Anglorum, quæ Authore Deo nuper ad fidem perducta eſt, hanc debet inſtituere conuerſationem, quæ in initio naſcentis Eccleſiæ fuit Patribus noſtris, in quibus nullus eorum ex ijs, quæ poſſidebant aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia.* Quo in loco notatu ſunt digna illa verba *In initio naſcentis Eccleſiæ*, quæ teſtantur in ipſa primitiua Eccleſia nul-

lam vitam nisi communem inter Clericos fuisse, & affirmat etiam *text. in 12. quest. 1. c. scimus* vbi Vrbanus Papa omnibus Catholicis scribens inquit. *Scimus vos non ignorare, quia hactenus vita communis inter omnes Christianos viguit & adhuc gratia Dei viget: & maximè inter eos, qui in sortem Domini sunt electi, idest Clericos.* Ex quibus deducitur non solum inter Clericos primitiuæ Ecclesiæ vitam communem viguisse, sed in viridi obseruantia apud Christianos omnes fuisse vsque ad tempora Vrbani Papæ Martyris, qui Christi Vicarius fuit anno 227. & summoperé à Clericis talis ritus custodiebatur: vt denotat illa dictio *maximè*, quæ Clericorum obseruantiam ampliat Ludouic. *Rodolphin. post tract. de absoluta Principis potestate lib. 2. var. quest. 50. num. 28. Rota decis. 529. num. 3. part. 3. rec.*

Post hæc tempora non ex noua institutione, sed quia à regula, ac feruore religionis, & instituto regulari deuiarunt Clerici, Sæculares facti sunt, vt bene probat *Præpositus in c. 1. 44. distinct. num. 4.* & satis fusé comprobat *Ioan. de Nigraualle Apostolicus Bibliothecarius lib. 13. Epilog. Cronic. cap. 18., nec disentit Card. Vitriac. in histor. Occident. cap. 30.*

Prædictis opitulatur D. Petri Damiani authoritas, qui in *Epistola 9. lib. 5. ad Clericos Fanenses*, illis nomine Canonicorum suo tempore tantummodo Canonicos Regulares venisse insinuat, & in Clericos

pro-

proprietarios, & Sæculares, qui Canonici appellari volebant exclamat. *Planè quo pacto quis valeat dici Canonicus nisi sit regularis? Quomodo monachus nisi iuxta vim sui nominis sit etiam singularis? volunt siquidem Canonicum (hoc est) regulare nomen habere, sed non regulariter viuere. Ambiunt cōmunia Ecclesiæ bona diuidere, aspernantur autem apud Ecclesiam cōmuniter habere: Enim verò nō est hæc Ecclesię primitiuæ forma, satis exorbitat ab institutionis Apostolicæ disciplina.*

Mirificé hic Sanctus Author assumptum mei exordij illustrat, dum à primitiua Ecclesia Clericos sęculares excludit; ibi: *Enim verò non est hęc Ecclesię primitiuę forma*, ea enim vis est negationis, vt totum quod sequitur neget: vt sua virtute æquè in distantia, atque in propinqua agat. *glos. in c. cum dilectus in verbo a suspensis de consuetudine*, vbi inquit, quod plus tollit negatio, quam ponit affirmatio. *Couar. var. lib. 1. cap. 13. num. 7. Mar. Antonin. var. risolut. 20. num. 7. lib. 1. Surd. decis. 243. num. 6.*

Quinimò idem erga verum Apostolorum institutum amore flagrans ab Alexandro II. Pontifice sua Epistola flagitauit, vt Clericis, qui in Congregatione viuebant proprietatē denegaret, cui annuens summus Pontifex in Canone quarto Concilij Romani celebrati anno 1063. statuit. *Vt religiosi Clerici simul manducent, & dormiant, & quicquid eis ab Ecclesia competit communiter habeant*. Quo in loco loquitur de

Canonicis, qui Collegiatis Ecclesijs inseruiebant vt notat *Baron. in tom. 11. Annal. an. 1063. pag. mihi 338.* Et tandem *Ioan. Gerson.* vt omnem amaritudinem tolleret, & hæsitandi occasionem dirimeret *in alph. 42. in sermone de Cæna Domini* dixit *Apostoli omnes fuerunt Canonici regulares sub Abbate Christo*, & idem affirmat *Cassian. in lib. de instit. renunt. collat.* 18. *cap.* 5. vbi inquit. *Sanctos Apostolos qui verè Clerici regulares* Ex quibus sequitur Clericatum regularibus fuisse ab origine sua insitum, & ipsos Clericos regulares beneficiorum capaces vt *in c. cum adeo de rescript. cap. ex litteris de transact. & c. in Ecclesia de institut.*

Sed iam tempus est sumendi Clypeum, & aduersariorum sagittis occurendi, & primo loco, en ex Arcu illa armata ferro talis argumenti: Canonici regulares Congregationis lateranensis incedunt cum habitu ab illo Clericorum primitiuæ Ecclesiæ diuerso ergo non sunt de illis.

Verum licet habitus monachum non faciat per *text. in c. porrectum de regularibus, & ibi August. Barbos.* qui alios allegat, tamen vt sagitta conteratur opere prętium duxi habitum antiquorum Clericorum cũ moderno comparare. Et non dissimilem esse, sed eiusdem speciei, primo loco depromitur ex habitu Sacerdotis Veteris testamenti, qui noui erat figura *cap. 28. Exod.* vbi Deus iubet inter vestes sacerdotales,

tales, vestem lineam strictam assumi per hæc verba. Hæc *autem erunt vestimenta, quæ facient, rationale, & superhumerale tunicam, & lineam strictam*: & *Tostadus* ponderat, quod licet plures sint vestes, hanc tamen lineā strictā omnibus conuenisse sacerdotibus nec alia de causa, nisi quia erat Sacerdotis essentialis. Qualis autem fuerit vestis idem doctor in *quest.* 5. *Litt.* I. expositionis eiusdem *cap.* 28. *Exod.* indicauit. *Secundo loco induebat tunicam lineam byssinam strictam, & hanc ponebat super vestes suas communes sicut faciunt Præsbiteri nostri, qui super vestes suas non impedientes celebrant*. & quamuis ex verbis Tost. videatur potius sermonem esse de veste talari, nempe alba (quæ *vulgo il Camisce* appellatur) quam de rochetto tamen nil refert si modo Rochettum, quod Canonicus regularis Lateranensis defert sit minoris longitudinis, quam esset forsan antiquitus, dum *in const. ordinis Canonic. regular. editis an.* 1565. Cremonæ per Vincentium Comitem *cap.* 35. *prim. part.* hæc sunt verba. *Cottam gerimus lineam ex tela non sumptuosa, quæ est habitus Canonicorum regularium, cuius longitudo vsque ad mediam tibiam protendatur*. In ordinationibus typis datis anno 1453. sic statutum est in cap. 34. *Cottam gerimus, quæ habitus Canonicorum est humili contextam lino, cuius longitudo vsque ad mediam tibiam, & vltra*. Patet ergo Rocchetum aliquando fuisse talare, nec ex eo quia cursu

tem-

temporis, & morum varietate, ad breuiorem formam redactum fuerit dici potest dissimile esse a veste, qua Clerici primitiuæ Ecclesiæ vtebantur, dum nec etiam nostro æuo Clericis sæcularibus proprius habitus præfixus sit, & qualis proprius sit Clericorum habitus, & color. nullibi determinetur vt dicit *glos. in verbo sæcularis vers. Posset etiam dici in Clement. 1. de elect. Famnac. in prat. criminal. part. 1. quæst. 8. num. 69. Marc. Antonin. var. resol. lib. 3. resol 49. num. 1.* nouissimé Alexander Sperellus Episcopus Eugubinus Vir omni virtutum genere imbutus in *decis. 17. num. 44.*

Et nimia breuitas, & longitudo reprobatur in præsẽti quaré honestas vestium Clericalium ponderabitur ex consuetudine, & vsu vniuscuiusque regionis, vt notauit *glos. in c. si quis viror. 30. distinct. glos. verb. de auratis in c. penul. deuit. & hon. cler.* quas commendant, & communiter receptas post antiquiores testantur *Couar. pract. c. 31. num. 7. vers. 4. Sperel. d. decis. 17. num. 44. & decis. 66. num. 8. Thom. Valase allegat. iuris tom. 1. allegat. 11. per totam Viuald. in Candelabro aureo part. 3. ad finem in explicatione Bullę Sixti Quinti de habitu, & tonsura num. 9. vers. tertia assertio. Zerola in prax. Episcopali part. 1. verb. Clericus §. 14. Carol. de Grassis de effectibus cleric. num. 271. in prælud. & ad Saturitatem scripsit Aug. Barbos. de offic. & potest Episcop.*

part.

part. 2. allegat. 9. num 2. Et hoc idem annuere videtur S. Concilium Tridentinum *in sess. 14. de reformat. c. 6.* vbi habitum Clericalem iuxta ipsius Episcopi ordinationem, & mandatum Clerico præfigit.

Nec duas vestes longas in Clerico *ex Viuald.* receptum dicit *Garc de benefic. part. 7. cap. 1. num. 23.* sed sufficere quod pallium perueniat ad talos, toga vero tegat genua resoluunt *Iacob. de Graff. inaur. decis. part. 1. lib. 3. cap. 3. num. 3. Viuald. loccit. in assertione quarta Petr. de ledesma in summ. part. 2. tract. 7. cap. 2. prope conclus. 14. circa finem Diana moral. resol. part. 4. tract. 1. resol. 91.* cum quibus conformantur Constit. ordin. Canonic. regular. lateran. in vltima eiusdem impressione *de anno 1629. vbi in cap. 3. part. primę* sic habetur de Rochetto, & veste linea loquendo *Eiusque longitudo subtus genua saltem extendatur.*

Vestem autem albam tempore SS. Apostolor. in vsu fuisse idem *Tostad.* affirmat ponderando illa verba Matth. ca. 17. *Vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix.* vbi *quæst* 46. Quærit an vestes Christi fuerint prius albæ vel potius tales tempore transfigurationis apparuerint, & respondit *Salutatoris vestes ante transfigurationem albas fuisse, & eo tempore colorem intensum habuisse.* Si ergo magister in albis incedebat, ita, & de eius Apostolis credere

fas

fas eſt, eiuſque Diſcipulis, qui tam morum, quam Sanctitatis imitatores fuere vnde Apoſtolus ſcribens *ad Corint. 1. c. 11.* ait *Imitatores mei eſtote ſicut, & ego Chriſti.* & D. Iacobum lineam induiſſe veſtem pro comperto habetur ex D. Hieronymi monumento in *Catal. ſcript. Eccleſ. ſiquidem* (inquit is) *veſtibus laneis non vtebatur, ſed lineis.* Et in hiſtor. S. Silueſtri legitur, S. Euphroſinum, dum Romam venit colobium lineum geſtaſſe quod fertur fuiſſe D. Iacobi. Et de D. Ioanne Euangeliſta in tabella Sacrarum Reliquiarum in Lateranenſi Baſilica ſub Nicolao IV. constructa legitur *Catena qua B. Ioan. Euengeliſta vinctus de Ephæſo ad Vrbem adductus eſt. Item vas quo idem ſanctus venenum bibit, & illi nihil nocuit. Item eiuſdem linea tunica.*

Teſtimonium quoque huius veritatis perhibet *D. Iacobus in Epiſt. cap. 2. Etenim* (inquit ad Clerum Catholicum ſcribens) *ſi introierit in Conuentum veſtrum vir aureum anulum habens in veſte candida,* quibus verbis non ſolum habitum album ſuo æuo in vſu fuiſſe probatur, verum etiam proprium Canonicorum regularium, cum per ly *in Conuentum* cænobium intelligatur ad mentem *Thomæ Anglici, Gagnei, Salmeronis, Serarij,* & aliorum quos refert *Lorinus in Epiſt. Cathol. D. Iacob. ſuper 2. cap. verſ. 3. verbo etenim ſi introierit;* vbi verba Thomæ Anglici ita recenſet. *In Eccleſia*

enim

enim primitiua erat, quasi quædam Religio, quidam Conuentus (vulgo sic vocantur cænobia) *quia eis erant omnia communia.*

Possem adhuc istiusmodi quam plurimas, & notatu satis dignas sententias recensere, verũ cũ olim alij prestiterint, & forsan nunc ex meis laboribus depromptas prestabunt, in tota facti serie de quo agitur omissis veterũ placitis, quorũ maximé olim.

In prætio ruga senilis erat.

Aliud testimoniũ non dabo pro conuenietia habitus Canonicorum, & Clericorum primitiuæ Ecclesiæ cum illo Canonicorum regularium lateranensium nostri æui, quam habitum sanctissimi Romani Pontificis D. Petri sucessoris, & Christi Vicarij, cum talis habitus non ex ordine Conciliorum, sed ex institutione Apostolica suum habeat esse. Toto anni tempore Sanctissimus D. N. Papa, nullo alio colore vtitur in Vestibus, quam rubro, & albo: videlicet veste talari alba, quam subtanam vocant, supra quam induitur Rochetto, & caputio, seu mozzetta, & biretto rubro, ac calceamentis rubris cum cruce aurata desuper. *Barbos. de Iure Ecclesiastic. vniuers. lib. 1. cap. 1. num. 121.* Si ergo Beatissimus Pontifex; qui est supremus Sacerdos. *c. Sacrosancta 22. distin. Felyn. in c. 1. sub num. 7. de constit. Ioann. a Capistrano in extrauagan. 1. Ioan. 22. sub num. 4. de verb. signific.*

signific. & vnicum caput militantis Ecclesiæ. *per tex in c. quamuis 21. distinct. c. omnes, & c. sacrosancta Romana distinct. 22. c. rogamus 24. quest. 1. & latè eruditissimus Ioannes Philippus Mainardus de Priuil. Eccles. art. 4. num. 5.* ipse super cæteros semper, & vbique lineis, & candidis vestibus vtitur iuxta illud Eccles. 9. *omni tempore vestimenta tua sint candida*, vt notat *Barbos. loc. cit. c. 2. n. 90.* Quare ergo Canonici regulares Lateranenses non erunt de illis Clericis primitiuæ Ecclesiæ, si rocchetto, & veste talari alba (licet lanea) induuntur, cum Clericis licita non sit vestis serica? *Menoch. cons. 912. n. 23. Barbos. in c. Parsimoniã 42. distinct.*

Secundo loco Sequa in Clypeum torquetur sagitta ab hostili arcu, nempe. Canonici Regulares Lateranenses professionem emittunt, at Apostoli, & eorum Discipuli professionem non emittebant, ergo Regulares non fuerunt.

Sed frustra mittitur, & Clypeus resistet. Nam licet Apostoli formaliter, & sub determinata forma professionem non emiserint, prout mos inter regulares inoleuit tamen, quo ad substantiam, & effectum certum est professionem emisisse, & regulares fuisse, vt dicit *S. Thomas in 4. sentent. distinct. 38. art. 2. quest. 3.* vbi testatur ante vsũ regulæ similẽ viuendi modum viguisse, ac si sub regula viueretur. *Ioan. de Turre Crem. 17. quest. 1. in sũma præpositi in c. 1. 44. distinct.*

Clypeum sagittæ oppono, vt confrigatur, nam

vno

vnō ore omnes profitentur religiosam professionem proprié, & strictè in emissione votorum consistere. *c.cū ad monasterium de statu monach. & regular. c. in Ecclesijs de maiorit. & obedient.c.fin.de relig.dom.c.ex parte de regul. Hostien.* Io: *And. Abb. & DD. communiter in rub.eod.* & ex cōmuni Theologorū sententia *D.Thomas in opusc.18. c.8. & opusc.19.c.5. & copioso calamo Sperell.in dec.2.n.47.*

At Apostoli votum emiserūt teste D. Augustino *de Ciuit.Dei lib.17.c.4.* vbi de illis loquendo ait *Ecce nos dimisimus omnia, & sequuti sumus te. Hoc votum potentissimè vouerant, sed vnde hoc eis, nisi ab illo de quo hic continuo dictum est, dans votū vouenti?* Sācti huius Patris explicans hęc verba *D.Thom.2.2.quest.88.* asserit *Apostolos vouisse substantialia, siue pertinentia ad statum perfectionis, quando relictis omnibus, sequuti sunt Christum.* Hæc autem substantialia, siue pertinentia ad statū perfectionis quis nō fateatur tria esse vota, quæ religiosi profitentur, cū totā ex his pendere perfectionē iā sit compertum? quæ ideo cū Apostoli professi sint, religionē Clericalē Canonicam consequenter fuisse professos, iam patet, & *Alphons.a Castro contra Hereses in vers.votum* nō solum probat Apostolos vota emisisse, sed etiam vitam regularem, cum expressione trium votorum ab ipsis institutā, quod de ipsis, atq; successoribus Clericis omnibus primitiuæ Eclesiæ post *D.Thomam in 4. distinct.38.* affirmat *Palud.4.distinct.* concluditq; 38. *Apostolos omnes primitiuæ Ecclesiæ Clericos regulares fuisse.*

Et si perfectio regularis vitæ non solum in mandatorum obseruatione, vti sæcularis consistit, sed perfectior est, cum ad mandatorum, ac SS. Conciliorum, ad quæ se religiosi sollemni voto astringunt compellat obseruantiam, consequens erit Apostolos eorumque Discipulos, & omnes primitiuæ Ecclesiæ Clericos tria substantialia religionis vota emisisse, atque professos esse: *Ordo Canonicus* ait Raphael. Volat. lib. 21. Antropolog. Marquez. *ab Augustino non tam institutus, quam renouatus ab Apostolis in monte Syon exordium accepit, qui post Assensionem Domini,* vt ait D. Thomas 2. 2. quest. 88. *de vitæ genere deliberantes communia inter se omnia, ac tria vota coram Deo statuere, qui ritus a successoribus Clericisque omnibus diù diligentissime seruatus est.*

Diuus Hieronymus. *Epist. 8. ad Demetrium* Quærit quodnam peccatum fuerit illud Ananiæ, & Saphiræ. *Act. Apostol. c. 5.* & respondit *Anania, & Saphira dispensatores timidi, immò corde duplici, & ideo condemnati, quia post votum obtulerunt quasi sua, & non eius, cui semel ea vouerant,* qui vsus vouendi vsque ad Vrbani Pontificis, & martyris tempora inoleuit, vt patet. 12, *quest. 1. c. scimus Quicumque vestrum communem vitam susceptam habet, & vouit se nihil proprium habere videat, ne pollicitationem suam irritam faciat,* & à D. Augustino amplexus fuit dum apud Ecclesiam Hiponensem Cæ-

nobium

nobium Clericorum instituit. *vt testatur Possidius de Vita Augustini cap.5.* vbi sic factum recenset. *factus Presbyter monasterium intra Ecclesiam mox instituit, & cum Dei seruis viuere cœpit secundum modum, & regulam sub Sanctis Apostolis constitutam.*

Canonicos autem regulares lateranenses ex illis esse à D. Augustino in dicta Ecclesia Hiponense reformatos secundum Apostolicum institutum, lippis atque tonsoribus notum est; & testantur *D. Antonin. in sua hist. tit. 15. c. 16. in fine Vueruer. Carthus. fascicul. tempor. pag. 54. lucid. Histor. lib. 10. de rebus gestis post Christi aduent. c. 7. Volateran. lib. 21. Anstropolog.* Iacob. *Philippi Bergomen. in supplement. postremæ editionis corrigens lib. 14. quem lib. 9. inscripserat Hieron. Plat. de bono Statu relig. c. 23. Rodriq. tom. 1. quæst. regular. quest. 3. art. 1. & ipsemet August. in sermon. 1. 2. & 3. de commun. vita* Cleric.

Verũ vt quantæ præstãtiæ Calybs Clypei sit expretiosissimis mineris constitutionum summorum Pontificum effectus ostendam, & primo loco ponã Constitut. *Eugenij IV.* quæ est in Bullario eiusdem religionis mihi *pag. 316.* vbi hęc leguntur verba *Huius profectò sacri ordinis, & sancti propositi post sanctos Apostolos primum in Alexandrina Ecclesia Marcus Petri Discipulus fuit institutor, & conditor, ac gloriosus Doctor Augustinus Episcopus diuinis regulis, & doctrina decorauit & sacrę memorię Vrbanus*

banus insignis Martyr, & Sanctissimus Pontifex generali decreto reformauit. Similis est Constitutio *Benedicti XII.* quæ incipit *ad decorem* & est in ordine 6. in tom. 1. Bullar. *mihi pag.* 259. in Exordio *Ideoque inter Religiones alias in Agro eiusdem plantatas Ecclesiæ ad religionẽ Canonicorũ regulariũ ordinis S. Augustini ab Christi gloriosis Apostolis in primitiua Ecclesia sacris institutionibus stabilitã* vbi sunt notatu digna illa verba *Ab Christi gloriosis ~~Discipulis~~ Apostolis in primitiua Ecclesia sacris institutionibus stabilitã* nil enim stabiliri potest nisi fuerit pręexistẽs, vnde negari haud potest Apostolos fuisse regulares, si alijs regulam dedere.

Opitulatur quoq; *Constitutio Pij V.* in Bulla, quæ incipit *Cum exordium* in tom. 2. Bullar. mihi pag. 322 vbi in . 1. habetur. *Cum itaque sicut accepimus dilecti filij vniuersi Canonici regulares S. Augustini Congregationis lateranensis, qui ab Apostolis originẽ traxerunt, quiq; ab eodẽ S. Augustino eorũ reformatore, iterum per reformationis viam mundo geniti.*

Iudiciale iurgio inter eosdem Canonicos regulares lateranenses ex vna, & Monachos Cassinenses parte ex altera vertente, eo quia hi negabant illos esse ex institutis à Sanctis Apostolis Sanctissimus D.N. Papa Pius IV. causa sibi aduocata motù proprio relationem Causæ tribus Eminentissimis S. Romanę Ecclesiæ Cardinalibus commisit scilicet Ioãni Michaeli Saracęno Ioãni Baptistæ Cicadæ, & Bernardino Scoto sibi reseruata decisione.

Qui

Qui quidem Cardinales dictis partibus, earumue procuratoribus, & aduocatis pluries auditis, dubiisque emergentibus ad plenum discussis. & resolutis ad Sanctissimũ pro comperto satis haberi ex cõpluribus litteris Apostolicis, diuersisque alijs documentis, Rationibus, & probationibus, quod ipsi Canonici fuerunt, & sunt de illis Clericis a S. Augustino, quinimmò a Sanctis Apostolis institutis, eosdẽ Canonicos tam suę antiquæ institutionis huiusmodi, quam etiam dignitatis Clericalis, qua eos statim, quod professionem Regularẽ emittunt insignitos esse oportet, aliarumq; qualitatum in eis existentium ratione, dictamq; illarum Congregationẽ lateranensem prefatos monachos et eorum Cõgregationem. Cassin. precedere debere retulerunt. Qui Santiss. Pontifex illorum relatione intellecta, eaquediligenter examinata *quoniam eam in omnibus suis partibus veritati, & Iuri consonam comp ij* per eius diffinitiuam sententiam decreuit, & declarauit Abbates, Prælatos, & Canonicos regulares Congregationis lateranensis *vti Clericos* dimissa superiori veste, pallio seu cappa in linea veste, clericalique habitù incedentes in omnibus actis publicis, & priuatis tam in Vrbe, eiusque, & aliorum Romanorum Pontificum successorum suorum conspectu, & vbique Abbates, Prelatos, & monacos ordinis

S. Be-

S. Benedicti Congregationis Cassinensis prædictos præcedere debuisse, & debere, vt in eius decisione habetur, quæ est in ordine. *inter eius Const. 75. Bullar. tom. 2. pag. mihi 80.*

Quis ergo tam temerarius erit, vt valeat sententiam Pontificis improbare, Canonicos regulares lateranenses negando, esse ex illis Clericis in primitiua Ecclesia a SS. Apostolis institutis? si iusta, & rationabili Causa motus fuit ad hoc approbandum quia scilicet relationem (*quod tales essent Clerici*) veritati, & Iuri consonam comperijt, cum ipse sit omnium totius Orbis supremus iudex, & Arbiter, & cuius attestationi plena fides est adhibenda *per text. in Clement. litteris vnic. de probat.* adeo quod hoc casu contrarium probari non poterit, vt inquit *text. in d. Clement. vnic. & ibi glos. in verb. fecisse narramus Anton. Gabriel. conclus. tit. de probat. concl. 2. Hieron. Ceual. commun. contra commun. quest. 897. num. 178.*

Verum maiora quoque de professione in medium proferam, dum idem *Papa Pius IV. in* §: 3. illos considerauit vti Clericos in linea veste, clericalique habitu incedentes quæ linea vestis & habitus Clericalis, est Rocchettum, vt declarauit *Sac. Congreg. Episcop. sub Papa Clemente Octauo die prima septembris 1603. & Carol. Tapia in Auth. ingressi c. de Sacr. Sanct. Eccles. in verbo monasteria cap. 2.* inquit *Canonici Regulares lateranenses in-*

duun-

duuntur tunica alba, Rocchetto ex bysso tenuissima, & pileum nigrum portant, & ex eiusdem Congregat. constit *par.* 1. *c.* 3. habetur Rocchettum esse professionis habitum, que certè est clericalis, & Canonici regulares de sui natura essentialiter Clerici efficiuntur.

Quinimmò in cæremoniale Episcoporum *cap.* 1. præcipitur, vt statim atque aliquis sciuerit se ad Episcopatum, vel Archiepiscopatum promotum esse, adeat Summum Pontificem cum veste supra talarem breuiori aperta, vt per scissuras brachia extrahi possint, quod genus vestis mantelletum vocatur; & tunc è sanctissimis manibus Rocchettum accipiat. Ex qua Cęremonia dubio procul dicendũ, & affirmandum fas est, tàm Episcopos, quàm Archiepiscopos professionem emittere, & Clericos regulares effici per Rocchetti receptionẽ, vt affirmat Ioan. de Nigraualle in epil. cronic. lib. 13. c. 18. *Et propterea* (inquit) *hodie Pontifices omnes vt Archiepiscopi, & Episcopi, quando consecrantur efficiuntur Clerici regulares per solemnem professionem, & accipiunt habitum scilicet Camisiam Apostolicam in signum professionis, & in memoriam, quod olim tota Ecclesia Catholica tam in patriarchalibus, quam Archiepiscopalibus, & Episcopalibus per ipsos regulares Canonicos regebatur*. Et hoc etiam depromitur ex ipso cæremoniale Episcoporum in fine *cap.* 1. vbi habetur. *Sed Canonici regulares vtantur etiam Rocchetto, prout ante pro-*

motionem ad Episcopatum vtebantur in sua Congregatione, & ho c,ne professio semel emissa geminaretur. Si ergo Archiepis.& Epicospi (qui per gratiã Pontificis, qui illos promouet Clerici regulares efficiuntur) sunt beneficiorum Ecclesiasticorum sæcularium capaces, cur tales non erunt Clerici regulares lateranenses, qui non per gratiam, sed per essentiam sunt Clerici? & illi tantum clericalem dignitatem in genere scilicet honoris causa habeant. *l. 1. cum seqq. c. de dignitatibus lib.* 12. *& c. sedes in verbo maiores de rescript. glos. 1. in cap. quia non nulli de cleric. non resident*. Hi autem dignitatem habeant in specie, quia eis competit, & statim emissa professione iure institutionis. *glos. verbo dignitates in extrauagant. execrabilis de probend.* Ioan. XXII. *Abb. in cap. de mult. num. 22. in fine de præbendis*.

Prædictis congruit constitutio allegata *Benedicti* XII. *incip. Ad decorem vbi* §. 28. Statuit Canonicos regulares posse vti vestibus, quibus vtuntur Clerici sæculares in doctoratu, & *Leo X*. in quad. sua Constir: inc ip. *Dudum* Bullar. tom. prim. pag. mihi 603. quæ est 34. in ordine sanciuit *Canonicos regulares ad Episcopatum promotos debere, vti tam in Capella Pontificia, quam extra habitu quo vtuntur Clerici sæculares ad Episcopatum promoti* quod vtique non decreuisset sum. Pontifex. si Canonici regulares non essent essentialiter Clerici æqualitas enim dignitatis agnoscitur ex delatione

æqua-

æqualitatis habitus iuxta tradita per *Gemin. in cap. Apoſtolicæ num. 2. Gratian. diſcept. forenſ. cap. 845. num. 50. Merlin. deciſ. 607. num. 13.* vbi inquit ita fuiſſe deciſum per Rotam *in Cæſaraugustana præheminentiarum 29. Nouemb. 1627. coram Decano.*

Inſuper Monachus ad Epiſcopatum promotus monaſticum habitum non amittit, immo illum geſtare tenetur ex præcepto, quia obligatio portandi illum non eſt ex ſolo mandato regulæ, ſed ex Iure *c. clerici officia in fine De vit. & honeſt. cleric. Boer. deciſ. 158. num. 5. Alphonſ. Aluarez. Guenero. in cap. 12. in ſpec. Iur. Pontif. Cau. in comm. de regular. tom. 4. num. 27. Leſſ. de iuſt. lib. 2. quæſt. 40. dub. 14. num. 113.*

Et licet vſus admittat, vt eo modo incedat, quo alius quiuis Epiſcopus tamen retinet colorem veſtium religionis, atque ideo cum birreto Clericali, & cum mãtelletto eiuſdem coloris religionis: Rocchettum vero portare minime poteſt; ſed cottam, nempè ſuperpelliceum ſuper imponit in actibus explendis Eccleſiaſticis: *Ceremon. Clementis* VIII. *lib. 1. cap. 1. part. 3. Vgolin. de officio Epiſcopi part. 1. cap. 3. num. 6.*

Et ſi præfatus antiſtes alijs, quã religionis veſtibus indui audeat, aſſumẽdo illã albã, & candidã veſtẽ (Rocchetum ſcilicet) quæ ab Epiſcopis exterius dæfertur excõmunicationis vinculo ſubiaceret, de qua *in c. 2. Ne clerici, vel monaci in 6. Card. Clem. 2. § ſed &*

tales de vita, & honestate Clericorum Sylu in verbo religio 7. quest. 11. Maiol. de irreg. lib. 2. cap. 1. num. 13. vel saltē grauiter peccaret vt opinatur *Tusc. de visitat. lib. 1. cap. 15. post num. 11.*

Hinc infertur, quod si monachus ad Episcopatū promotus sit, tenetur colorē religionis in habitu retinere, nec Rocchettum portare potest: non ex solo mandato regulæ, sed ex iure; & Canonico regulari lateranensi permittitur, quod vestem talarem albam laneam possit in violaceam transmutare, vt clerici sæculares, ac Rochettum deferre, vnde sequitur, quod summus Pontifex Leo X. qui congregationi, & suis Canonicis tale priuilegium cōcessit, eos reputauerit pro veris Clericis sæcularibus licet sub regula viuant, & capaces beneficiorum Ecclesiasticorum sæcularium, & ita Canonici regulares possunt præfici in Ecclesijs Parrochialibus seu Curatis sæcularibus, vt est etiam Textus *in cap. quod Dei de Stat monac.*, & ex hoc Test. conclusionem desumunt *Caputaquen. decis. 85. part. 1. Mandos. de signatura gratiæ tit. de prouisionibus vers. regularem Nauar. cons. 11. & 12. tit. de stat. monac. Less. de Iustit. lib. 2. cap. 41. num. 98. Layman. in Theolog. moral. lib. 4. tit. 2. cap. 4. num. 1.*

Tertia in Clypeum iaculatur sagitta nimirum Cænobium potius ad monachum, quam ad Clericum spectat per *text 16. quest. 1. c. Nemo* vbi statutum

est

est neminem posse districtionem monasterij tenere si quotidie in ministerio Ecclesiæ permanere cogatur. Sed Canonici regulares lateranenses in monasterijs viuunt, ergo Clerici non sunt.

Sed facile euitatur, nam textus non loquitur de Monachis, sed de sæcularibus Clericis, qui volebant monasterijs præesse, & dicit quod non posset fieri, secus autem est de monacho, qui dum præficitur Ecclesiæ non tenetur seruare districtam regulam, vt prius scilicet in ieiunio, & orationibus, vt *Text.* explicando inquit *ibi glos. in verbo Nemo.*

Friuola quoque est consequentia nimirum Canonicos Regulares Lateranenses, quia in monasterijs viuunt non esse Clericos, nam D. Augustinus in monasterio cum suis Clericis vixit, vt testatur *Possidius in eius vita*, & ille *in sermone 1. de commun. vita Clericorum* affirmat dum inquit. *Et quia hoc disponebam esse in monasterio cum fratribus cognito instituto, & voluntate mea beatæ memoriæ senex Valerius, dedit mihi ortum illum, in quo est monasterium*, & tamen ipse sanctus, Monachus non fuit, sed Clericus, vt sæpe se nominat, & maxime 16. *quest. 1. c. legi* aliud enim est viuere in monasterio, vt qui viuit, non sibi viuat, sed & alijs, aliud vero viuere, vt sibi quis tantum viuat. Canonici regulares lateranenses non secundo, sed primo modo ad monasteria se conferunt, quia illorum officium

ficium eſt populos docere, & ſuæ ſaluti incumbere, vt *in 2. part. eorum conſtit. c. 9.* legitur. *Quia noſtri Inſtituti ratio eſſe poſtulat, vt non ſolum propriæ Saluti, & perfectioni inſiſtamus, ſed populos docendo etiam illorum ſalutem, cum Dei gratia procuremus quippe qui ſumus per Eſſentiam Clerici.* Cui conſona ſunt Auguſtini verba in *lib. 10. confeſ.* in fine vbi ait. *Conteritus peccatis meis, & mole peccatorum meorum, & miſeriæ meę agitaueram fugam in ſolitudinem: ſed prohibuiſti me, & confirmaſti me dicens. Ideo pro omnibus Chriſtus mortuus eſt, vt qui viuunt, iam non ſibi viuant, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt.* Si ergo Auguſtinus non ſibi tantum, ſed & alijs vixit, quomodo eius filij ſecundum Regulam ab ipſo acceptam ſibi ipſis tantum viuere valebunt? En igitur *Teſt. 16. queſt. 1. c. nemo* Canonicos regulares nõ comprehendere, ſed tantum monachos, quorum officium eſt peccata plangere, & non populum docere, vt inquit *D. Hieronym. 16. queſt. 1. c. monachus.*

Et Canonicos regulares lateranenſes licet monaſteria inhabitent eſſe Clericos, multa ſunt textualia documenta, quę ad ſaturitatem concluſionem firmant, vt ſunt *text. Concilij Tarragonenſis in 15. queſt. 2. c. obſeruandus 16. queſt. 1. c. decimas, & cap. nonnulli xx. queſt. 3. c. preſens*, qui purum nomen Clericorum, vel Canonicorum continent, & tamen Gratianus dicit de Canonicis regularibus eſſe intelligendos,

gendos, talesque sunt etiam 12. *quest.* 1. *c. nolo*, & *c. certè*, qui cum sint de sermonibus D. Augustini de comm. vita Clericorum nephas est dicere de alijs mentionem facere, quam de suis Canonicis regularibus intra claustra degentibus. Sed quid adhuc desidero testem, si ipsemet S. Reformator in regula suis Clericis præscripta, ne monaci æstimarentur, quia in monasterijs degebant nunquam regulares appellauit, sed simpliciter Clericos nominauit, cum actus de sui natura indifferens determinetur per denominationem. *glos. in l. pro herede §. seruos ff. de aquiren. heredit. Gratian. discept. forens. cap.* 562. *num.* 8.

Item Eugenius Papa II. & Leo IV. vt habetur in 12. *quæst.* 1. *c. necessaria* hunc articulum dilucidarunt Statuentes. *Necessaria etenim res exigit, vt iuxta Ecclesiam claustra constituantur, in quibus* Clerici *disciplinis Ecclesiasticis vacent.* I*taque omnibus vnum sit refectorium ac dormitorium, seu cæteræ officinę ad vsus* Clericorum *necessaria. Ministri vero post Episcopum super eos eligantur, quorum vita, atq; doctrina illos potius exornet, quam dehonestet.* Ex hoc decreto clare habetur claustra Clericos non efficere regulares, nam certo certius loquitur de Ecclesijs Cathedralibus, dum inquit post Episcopũ Ministri eligantur; Episcopus namque habet Ecclesiam Carhedralem in sponsa, quia ibi Cathedra Episcopalis, & sedes sita est *Barbos. de Iure Ecles. lib.* 1. *c.* 8. *n.* 48. &

glos.

gloss. hoc affirmat hic in casu, vbi verbum illud *Ministri* explicando inquit, *id est Plebani, vel Archipresbyteri* nam Cathedralis Ecclesia dicitur esse Parochia totius Ciuitatis, & Diæcesis, vt notat *Barbos. in collect. in c. officium de offic. Archipresb. & Archipresbyter. deget in Cathedrali, vel Collegiata Ecclesia, vt in c. 1. eod. tit.*

En ergo Claustra non transformare in monachũ, Clericos, & Canonicos lateranenses ex proprio instituto Clericos, nec incapaces beneficiorum, etiam cum cura animarum facere, quinimmò illos capaces reddere, dum Plebani esse possunt; ac etiam Archidiaconatus munere in Cathedrali Ecclesia fungi, vt in puncto dicit *gloss. in c. Præterea de preben. & dignit.*

Et Clericos debere viuere cõmuniter, & in Claustris, absque quo ~~regulares~~ Monachi efficiantur vltra allegatum decretum Eugenij II. & Leonis IV. adsunt etiã *Concil. Meldens. celebrat. anno* 845. *in c.* 53. *Concil.* IV. *Roman. sub Nicolao* II. *an.* 1059. *c.* 4. *quod confirmauit Alex.* II. *an.* 1063. *in c.* 4. *Conc. Rom. Conc. Turonen.* III. *sub Leone* III. *an.* 813. *c.* 23. & 24. *Conc. Mogunt. sub eodem Pont. c.* 9. *Aquisgranen. an.* 816. *tempore Ludouici* I. *Imperat. c.* 117. Maior enim perfectio nõ vitiat personam, sed facit illam aptiorem, & habiliorem ad sua munera obeunda 16. *quest.* 1. *c. sunt nonnulli.*

Quare licet Canonici regulares lateranenses in

mona-

monasterijs viuant non sunt beneficiorum sæcularium incapaces, cum per essentiam Clerici sint, & beneficia, dentur ob officium *per Text. in cap. fin. de rescript. in 6. Barbat. in c. in nostra n. 27. tit. cod. Egid. Bellam in c. super hoc quest. 15. num. 10. de renunc. & alij. quos refert. Pax Corradus in prax. benef. lib. 1. c. 3. num. 67.*

Et beneficium propriè solum Canonicis regularibus lateranensibus competere, quia vitam habent communem, & propria abijcierunt statuit *Concilium Aquisgranense* tempore Ludouici I. Imperatoris celebratum in c. 3. vbi legitur. *De Euangelio viuunt, qui nihil proprium habere volunt, qui nec habent nec habere aliquid concupiscunt non suorum, sed communium possessores*. Alias si ipsis Canonicis lateranensibus, qui statum maioris perfectionis, quam Clerici sæculares profitentur ille status pro impedimento ad obtinenda beneficia sæcularia Ecclesiastica seruire deberet sequeretur, quod virtus pœna compensaretur, quod nec rationi, nec Iustitiæ consonum est dum pœna tantum imperfectioni, & delicto veniat infligenda *l. si pater seuerinam, ff. de condit. & demonst.* Campan. *in diuers.* Iur. Canon. *rub. 11. cap. 33. num. 26. vers. insuper Mar. Anton, in var. lib. 3. resolut. 42. num. 2* pœna enim præsuponit culpam *D. Thom. 2. 2. quest. 108. art. 4. in solut. & cap. 2. quest. 87. tit. 7. & 8. Sot. de* Iustitia *lib. 1. quest. 6. art. 5. col. 2. vers. profecto, & vers. veruntamen Sil-*

 uester

uester verbo pœna num. 25. *Couar var. lib.* 2. *cap.* 8. *in princ.* *& num.* 1. *vers. tertio* & culpa esse non potest vbi maior est perfectio *c. cum qui de prebend. in* 6. *c. cum voluntate de sent. excom.*

Verum, vt vires sagittariorum huic Clypeo veritatis cedant summorum Pontificum constitutiones profero, quæ in Bullario Congregationis lateranensis registrantur, quibus Ius Parrochiale sibi, suisque Canonicis, & Clericis intactum seruatur. Adest itaque *pag.* 3. *Constit. Pascalis* II. in qua prohibetur ne quis perturbet Canonicos Regulares in exactione decimarum in Ecclesijs Parrochialibus, *quam Celestinus* II. *pag. ibid.* 45. *& Eugenius* III. *pag.* 57. cõfirmarunt. His comitatur illa *Gelasij* II. *pag.* 13. vbi prohibetur, ne quis audeat Parrochianos dictorum Canonicorum, vel excommunicare, vel ad pænitentiam recipere, quam *Celestinus* II. *Honorius* II. confirmarunt, *vt in pag.* 15. *&* 18. *habetur*. Qui Honorius pariter *pag.* 19. præcepit, ne aliquis audeat corpora Parrochianorum, Canonicorum, Regularium in eorum Ecclesia sepellire absque illorum cõsensu, & *Gregorius* IX. statuit bona decedentium sine herede, & ab intestato intra fines Parrochiarum eorundem Canonicorum congregationi esse adscribenda, quod pariter firmauit *Innocentius* III. *pag.* 151. *Innocentius* II. *pag.* 20. vsum Baptismi in

sabba-

ſabbato ſancto Pentec. permittit, & cætera, quæ ad curam animarum ſpectant. *Alexander* III. *pag.* 84. vetat, ne quis abſque licentia Epiſcopi, & ſuperioris Congregationis audeat in Parrochijs Canonicorum Regularium lateranenſium ædificare Eccleſiã, & hoc idẽ ſuis Diplomatibus confirmauere *Adrianus*. IV. *pag.* 80. *Gregorius* IX. *pag.* 136. & 172. *Alexander* IV. *pag:* 162. & 166. quorum duo poſteriores ex nobiliſſima Proſapia Comitum Signiæ, Poli, & Valmontonis prodierunt, quæ præter denos Pontifices Vaticano, ſex ſupra viginti purpuratorum Patrum ſublimitate illuſtratos; inter quos Eminentiſs. Card. Ioannem Nicolaum Anconitanæ Eccleſiæ Epiſcopum nemini litteratorum ſecundũ de quo veré dici poteſt, quod omnia iura ſeruet in ſcrinio pectoris, Vrbique, & Orbi multos tum in toga, tum in ſago viros alios præſtantiſſimos produxit, & donauit.

Demum *Sixtus* IV. *pag.* 351. decreuit Eccleſias Parrochiales Canonicorum regularium poſſe regi, vel per eoſdẽ Canonicos, vel per Presbyteros ſęculares ad nutum ſuperioris Congregationis amouibiles, & idem ſtatuit *Iulius* II. *pag.* 409. & nuper confirmauit *Clemens* VIII. *pag.* 616. Ex quibus conſtitutionibus concludenter capacitas Canonicorum regulariũ lateranenſium probatur dũ agitur de Curis

Parochialibus collatis, non ex dispensatione, sed ex rigore Iustiæ cum sint per essentiam Clerici, prout ex ipsa collatione dictarum Ecclesiarum Parrochialium illos Clericos esse constat, vt notant *Pænia in decis. 523. num. 12. & Pax Corrad. in prax. benef. lib. 1. cap. 3. num. 100.*

Quarta ex Pharetra *S. Concil. Trident. in sess. 14. cap. 10.* desumitur sagitta, quæ in Clypeum vim facere conatur, dum ibi præcipitur, vt regularia beneficia tantum Regularibus conferãtur, quare cum Canonici lateranenses sint regulares beneficiorum sæcularium sunt incapaces. At

Aspicis in timida fortia tela manu

tu qui Clypeum impingere satagis. Cõcilium enim loquitur de Regularibus monacis, qui non sunt Clerici per essentiam, & eis beneficium tantum per gratiam, non autem per naturam status, & habitus competit, & iure meritò eis prohiberi poterat, ne ad sæcularia beneficia aspirarent, cum dispensatione apostolica indigeant, at secus est in Canonico regulare lateranensi, qui est Clericus per essentiam, & absque apostolica dispensatione ad beneficium promouetur. *Iordan. tom. 2. de re benef. lib. 10. tit. 27. num. 33.*

Et ne meo Marte loquutus videar ineuitabile argumentum ex ipsomet textu Concilij desumo,

ibi

ibi enim regularia beneficia tantum regularibus conferri disponitur, & causam huius prohibitionis assignando inquit *Ne vestem lino, lanaque contestam induant*. Ergo cum Canonici regulares lateranenses induant se veste linea, quę est habitus Clericorum sæcularium (licet eo non vtantur) & illa, Ecclesia Catholica Romana distinguat Clericum sęcularem ad Episcopatum promotum, à monacho siue alio regulare ad eandem dignitatem prouectum, dum illi vsum Rocchetti concedit; huic autem interdicit, & vestē ex lana coloris quo ante promotionem in Religione vtebatur deferre iubet, sequitur quod interdictum Sacri Concilij extendatur tantum, ne Canonici regulares lateranenses, seu Clerici seculares habeant beneficia ad monachos spectantia, & hi non obtineant illa ad prædictos Canonicos lateranenses, seu Clericos pertinentia, ne vtraque veste lino, lanaque contesta induantur; non autem interdicere Canonicis Regularibus lateranensibus ne beneficia Ecclesiastica sęcularia obtineant, dum hoc agendo, tantum veste linea induantur, & cum dispositio Concilij sit clara locus non est subtilibus interpretationibus *Rota coram Pænta decis. 601. num. 4. & in recent. part. 8. decis. 210. num. 3. part. 9. decis. 131. num. 8. & part. 10. decis. 97. num. 5. & alibi sæpissime.*

Corroborantur prędicta ex eod. S. Concilio in allegat

legat *seß. cap.* 11. vbi ſtatuit Canonicum Regularem trāslatum ad beneficia ſæcularia, etiam curata omnino incapacem exiſtere. Ergo ad ſenſum patet, quod Canonicus Regularis ſemper, & quandocūq; dum in Congregatione manet, & ad aliam Religionem non eſt translatus capax eſt habendi, & obtinendi beneficia ſæcularia etiam curata, quia incluſio vnius eſt excluſio alterius *Bellamer. deciſ.* 287. *Gregor. dec.* 353. *vbi adden. n.* 19. *Rot. par.* 8. *rec. deciſ.* 76. *n.* 13.

Accedit prædictis textus *in c. quod Dei timorem de ſtat. monach.* vbi Canonico Regulari beneficium ſęculare permittitur, etiam ſi ſocium ſui ordinis non habuerit, quando commodé id fieri nequeat; nec hoc regulæ illis a D. Auguſtino traditæ repugnat, nam in 12. *queſt.* 1. *c. certè* hæc leguntur verba. *Qui volunt habere aliquid proprium, quibus non ſufficit Deus, & Eccleſia ſüa maneant vbi volunt, & vbi poſſunt: non eis aufero Clericatum.* En ergo D. Auguſtinum ſuis Clericis non prohibere, vt extra Clauſtra apud Clericos ſæculares eorum vitam ducant, ſed permittere, quod ſi contra vim voti fuiſſet, vtique S. Epiſcopus non tolleraſſet, alias, & ipſe læthaliter contra Deum peccaſſet cum eſſet in cauſa talis culpæ, illam permittendo. Quinimmo cum tot ſummi Pontifices Chriſti Vicarij annuerint Clericos regulares lateranenſes poſſe obtinere, & poſſidere beneficia ſæcularia, etiam cura-

ta

ta vt infra illa omnia recensebo, si modo talis capacitas negaretur esset modus reprehendendi Pontifices de errore, quod nephas est cum Papa errare non possit dum aliquid definit tanquam summus totius Ecclesiæ præfectus, & Pastor *Barbos. in collect. in cap. 4. de diuortijs sub num. 2.*

Insuper multum releuat forma professionis, qua Canonici Regulares lateranenses profitētur ad differentiam aliorum, quæ obligationem mutuam inter Religionem, & profitentem inducit *c. ad Apostolicam. De regularib.* vltra, quam nemo potest obligari. Ipsi enim Canonici lateranenses reseruant sibi Ius ad beneficium, siue curatum, siue nō, tam intus, quā extra Religionem vnde sequitur, vt etiam Ecclesiæ sæculari præfici possint (professione non obstante) cum renūciatio facta de mundo non trahatur ad Ius nō renunciatum, & reseruatum *Io: Andr. in reguli inspicimus n. 5. vers. in cōtrariū adducitur de reg. Iur. in 6. & in c. 1. n. 1. de iure iuran. tit. eod. Gallerat. de renun l. 1. c. 12. n. 1. Rot. dec. 97. n. 12. par. 5. & dec. 278. n. 11. par. 9. rec.*

His autem verbis talis Canonicus lateranēsis in sua professione se obligat. *& quod nunquam absque licentia Capituli generalis d. Congregationis, vel eius auctoritate fungentis aliquod cum cura, vel sine cura beneficium acceptabo intus, vel extra ordinem nostrum, renunciando omnibus Iuribus, Priuilegijs, et consuetudinibus in contrarium*

mihi

mihi competentibus, *vel quomodolibet competituris*. & hic Canocicus lateranensis obligatur tantum de non exeundo a Congregatione absque licentia Superioris non autem abnegat suum Ius vtcunque, & cum agatur de re odiosa, vt est renunciatio verba sunt strictè interpretanda *Bald. cons. 48. lib. 2. Aret. cons. 161. num. 5. Dec. cons. 230. in fine vers. & prædicta maximè Natta in addit. ad Alex. cons. 85. lib. 4. Honded. cons. 29. num. 92. & 93. lib. 1. Eugen. cons. 88. num. 82. lib. 1. Bec. cons. 111. num. 31. Surd. cons. 445. num. 22. Surd. decis. 279. numer. 10. Rot. decis. 18. num. 16 part. 9.*

Euidens ergo est Canonicis Regularibus Lateranensibus de sua natura beneficia Ecclesiastica, siue regularia, siue sæcularia sint, competere, siue intus siue extra Congregationem, nec posse directé, vel indirecté priuari, & incapaces fieri, absque eo quod tam iustitia, quam humana libertas offendatur, maximè quia vltra reseruationem iuris obtinendi beneficia in professione expressam, solēt multi in Instrumento, quod ante professionem stipulatur, (in quo bona Patrimonialia sæcularia renunciant) sibi Ius reseruare ad ea redeundi, casu quo de aliquo beneficio prouisi religionem egrediantur, quare si incapaces fierent sequeretur, quod indirecté obligarentur perpetuò ad Claustrum vltra

men-

mentem vouentis, quod fieri nequit vt ſcripſit *S. Bernardus lib. 1. de precept. & diſpenſat. col. 4.* vbi ait *Prę-lati iuſſio, vel prohibitio non prætereat terminos profeſſionis, nec vltra extendi poſſe, nec contrahi citra; nihil me prohibeat Prælatus horum, quæ promiſſi, nec plus exigat, quam promiſi; Vota mea nec augeat ſine mea voluntate, nec minuat ſine certa neceſſitate &c.* & ſunt textus in 20. *quæſt. 3. c. præſens. & 17. quæſt. 1. c. ſunt quædam Dec. in c. ad noſtram de appellat. n. 19. & 20. Nauar. in compend. verbo obligatio Merlin. deciſ. 46. num. 10.*

At hic quinta contra verba profeſſionis vibratur ſagitta, dum illa intelligentes ſagittarij non per mentem, ſed per cauillationem inquiunt. *Non acceptabo beneficium extra ordinem*, velle Canonicum regularem lateranenſem indicare beneficium alterius Religionis, non autem ſæculare, vt de cerebro ſuo inquit Pyrrhus Coradus in praxi diſpenſat Apoſtolic. lib. 6. cap. 1. num. 26.

Quantum autem a veritate diſtet talis interpretatio diſcant in Clypeo, veluti in Rinaldi ſcuto, ſeu ſpeculo cordati, & ſapientes Viri. Si enim Canonicus Regularis lateranenſis cum licentia ſuperioris valeret beneficium alterius Religionis tãtum, nõ autem ſęculare acceptare ingens ſequeretur abſurdum, nam certè veſtem lino, lanaque contexam indueret cõtra diſpoſitionem *Conc. Trid. ſeſſ. 14. c. 10.*

Vlterius is reseruat sibi obtenta licentia ius acceptandi beneficium extra ordinem quæ dictio *extra* remotionem, & separationem ab ordine importat, *l. absente ff. de verb. signif. Alber. in suo diction. verb. extra*, & sic verba professionis non sunt intelligenda tantum de beneficio alterius Religionis, sed etiam de sæculari, quia verba sunt indeterminata, non autem terminata, & verba non determinata, determinare, & restringere non licet. *Molin. de primog. lib. 1. cap. 6. num. 19. Buratt. decis. 688. num. 1. & seqq. Rot. decis. 209. num. 2. part. 8. rec.*

Prædictis adstipulatur Religiosum alicuius Religionis, nō esse capacem beneficij Regularis alterius Religionis, vt resoluunt *Rebuff. in praxi benefic. tit de dispensat. cum regular. nu. 2. Nauar. commento 4. de regular. num. 23. in princ. Fr. Emmanuel. quæst. regular. tom. 1. quæst. 34. art. 8: Gonzal. ad regul. 8. Cancellar. glos. 8. num. 96. cum seqq. Hieron. Roder. in compend. quest. regul. resolut. 15. num. 4.*

Et Sanchez. in præcepta Decalogi lib. 7. cap. 29. num. 30. inquit nec Pontificem solitum esse concedere Regularibus gratiam assequendi beneficium alterius ordinis, nisi transferēdo illos ad illud monasterium ad cuius collationem beneficium assequuntur.

Quare si verba professionis essent intelligenda tantum de beneficio alterius religionis in conueniens

ens sequeretur nam si capitulum generale, seu superior Congregationis Lateranensis licentiam acceptandi beneficium tantum regulare alterius religionis suis Canonicis concederet esset maioris auctoritatis, quam sit Pontifex, qui illam concedere non solet absque translatione, quod asserere illicitum est, cum Papa sit supra omnes cum omnimoda potestate, & nullum habeat in terris super se, nec æqualem *c. si Papa 40. distinct. c. nunc autem distinct. 21. c. oues 2. quest. 7. & latè Maynard. de priuileg. Eccles. art. 4. num. 4.* cum solus Romanus Pontifex talem licentiam impartiatur *Sanch. in præcepta Decalogi lib. 6. cap. 7. num. 67. Steph. Gratian. discept. forens. cap. 434. num. 6. Barthol. de Vecchis in prax. obseruan. in admitten. ad Relig. stat. nouit. disput. 15. dub. 5. num. 1.*

Concludendum igitur est reseruationem acceptandi beneficium cum licentia capituli generalis, vel eius authoritate fungentis intelligi de beneficio Ecclesiastico sæculari, non autem de regulari alterius Religionis, cum ad hoc consequendum sit translatio necessaria, quæ a capitulo generali fieri non potest, vnde cessante translatione, beneficij sæcularis etiam Curati Canonicus lateranensis regularis per suam reseruationem capax existit, per Concil. Trident. in allegat. *sess. 14. cap. 11.*

Sagitta qualis Particha velox manu.

Sexto loco Clypeum resonare facit, & est quoddam prętensum decretum SS.D.N. Gregorij XIII. *sub die* 8. *Iulij* 1581. quo noluit licere istis Regularibus Canonicis etiam de licentia sui Generalis absque licentia summi Pontificis assumere curam, etiam ad tempus, multo minus beneficium curatum in titulum.

Verum hoc decrerum Canonicos Regulares lateranenses, qui Clypeum boni Iuris assumunt non expauescit, nam cum in dicto decreto appositi sint in genere Canonici Regulares, nec clarum omnino sit, an lateranēses in eo sint comprehensi, cum plũres sint species Canonicorum regularium vt Præmonstratenses, & S. Saluatoris: Lateranenses sunt manutenendi in possessione habendi, & obtinendi beneficia Ecclesiastica sæcularia etiam curata *Rota coram Card. Seraph. decis.* 1471. *num.* 5. *post modern. de manuten. decis.* 139. *num* 12. *& decis.* 183. *num.* 5. *&* 6. *in recent. decis.* 341. *num.* 3. *decis.* 514. *num.* 4. *& decis.* 652. *num.* 3. *part.* 1. *decis.* 48. *num.* 5. *part.* 5. *decis.* 252. *num.* 5. *part.* 8. *decis.* 277. *num.* 17. *part.* 9. *coram. Card. Caualero decis.* 8.

Vltra quod tale decretũ vti apocraphum reicitur à *Bordon. de preced. canonic. regular. argum.* 3. *num.* 57. *tract. de iure paroch. vbi per Penott. in cronic. canon. regular. lib.* 2.

cap.

cap. 72. num. 7. testatur Gonzal. se retractasse, vti verè se retractauit *in regul.* 8. *Cancellar. glos. 7. n.* 55. subiungens idem Pordon. communiter tale decretum, vti apocraphũ reici, & decretum S. Cõgregationis Concilij de anno 1602. in quo decreuit Canonicos regulares lateranenses non prohiberi beneficia curata sæcularia nisi fuerint ex his translatis obseruari; vna cũ *Constit. Clement.* VIII. quę incipit *iniunctum*, qu ę adest in bullar. eiusdem Congregat. lateranens. *pag.* 616.

At dato, non tamen concesso, quod tale decretum (quatenus reperiatur) in specie Canonicos regulares lateranenses comprehendat, tamen non afficit, quia cum hic sit actio abolendi contrariam consuetudinem, non omne decretum est sufficiens ad consuetudinem irritandam, vt bené notat *Suarez de legib. lib. 7 cap. 20. num.* 15.

Requiritur enim ad decretum antecedens informatio facti, & subsequens acceptatio Legis à populo, vt idem doctor ait; at in casu, de quo agitur, nec lex est acceptata, cum vsus fuerit semper cõtrarius, nec informatio præcessit quia si summus Pontifex notitiam habuisset de vsu antiquissimo Congregationis, & de formula professionis tale decretum non statuisset, cum repugnet libertati Vouentis, & obliget præter animum profitentis. Votum enim dicit liberam, & deliberatam promissionem

nem

nem, *c. præsens 20. quest. 3. c. prælatum de ijs, quæ vi metusue S. Thom. 2. 2. quæst. 88. art. 1. & 2. S. Antonin. 2. part. tit. 11. in priuc. Nauar. in manual. c. 12. num. 24.*

Quare si Canonicus regularis lateranensis profitendo perpetuò non se obligat ad Claustrum, nec abnegat Ius ad obtinendum beneficium extra ordinem, sed potius expresse hoc Ius sibi reseruat, dum profitetur. *Nullum beneficium cum cura, vel sine acceptabo intus, vel extra ordinem*, quomodo tale beneficium ei erit denegandum non alterata obligatione? idem enim est dicere non acceptabo beneficium extra ordinem absque licentia capituli generalis, ac dicere acceptabo beneficiũ extra ordinem cum licentia capituli generalis, cum eadem sit disciplina contrariorum, *l. 1. ff. de his, qui sunt sui, vel alieni* Iuris, *l. final. ff. de leg. 3. l. in fundo ff. de rei vend. Aristotel. lib. 7. topic. c. 1.*

Pono casum Canonico regulari lateranensi oblatum est beneficium, etiã curatum, & capitulum generale annuit petitioni illius Canonici, poterit ne is, qui professus est cum dicta conditione acceptandi beneficium extra ordinem cum licentia capituli generalis suũ habere intentum stante allegato decreto Gregorij XIII? certe non: En ergo obligationem perpetuam ad claustrum, & incapacitatem tale beneficium obtinendi vigore huiusmodi decreti esse supra mentem vouentis, & coactiuam ad

rem, quam nullo modo Canonicus in professione comprehendit, & ideo indebita, nec de Iure fieri posse, vt bene notant *Layman. tract. 5. de nat. monach. cap. 9. num. 10. vbi ait* nec summum Pontificem hoc posse facere, & citat *Siluestr. vers. religio 6. quest. 6. Less. lib. 2. cap. 41. num. 76. Azor. tom. 1. instit. moral. lib. 13. cap. 11. quest. 19. sanchez. lib. 6. cap. 2. num. 22.*

Et bene quia vis obligationis oritur ab animo obligantis, & tanta est quanta se obligandi volũtas est *c; litterarum de Vot. Rot. decis. 224. n. 14. par. 5. rec. cum alijs relat. per Rub. ad decis. 1. num. 3. part. 8. rec.* vnde si Canonicus non habuit volũtatem se perpetuò ad claustrum obligandi, sed potius obligationem conditionatam & ad tempus contraxit; non debet vltra tempus conuentum adstringi ad vitam claustralem, quia eueniente tempore obligationis ipsa cessat, & expirat *l. labeo la 2. ff. sed si per fideiussores, & ibi Bartol. ff. de recept. arbitr. l. si fideiussor §. vltimo, & ibi glos. ff. mand. Abb. in cap. constitutus, num. 11. ff. de fideiuss. Seraph. decis. 55. num. 1. Rot. decis. 567. num. 1. & seqq. part. 1 diuers. & decis. 298. num. 1. part. 8. rec.*

Quinimmò cũ Canonicus regularis lateranensis professionem emittat sub cõditione acceptandi beneficium extra ordinem ex natura ipsius professionis ad claustrum perpetuum non obligatur, nam obligatio facta sub conditione inducit consensum

con-

conditionalem, ita vt, dum conditio pendet nil ponitur in esse. *l. si pupilli §. videamus ff. de negot. gest. Bartol. in l. quibus diebus §. termillius ff. de condit. & demonst. Menoch. cons. 371. per tot. Caputaq. decis. 82 num. 3. & decis. 83. num. 2. part. 3. & decis. 446. num. 5. part. 1. diuers. decis. 477. num. 13. part. 9. rec.* Alias esset Canonicum regularem ad statum monachalem reducere, quod fieri nequit, vt notat *Nauar. cons. 16. de regular. num. 5.*

Et si factum Principis contra legem, eam tollit etiam si actus sit singularis iuxta mentem *Abb. in cap. ad audientiam de cleric. non residen. Io: And. ex cap. pro illorum de prebend. & cap. cum accessissent de constit.* tale decretum ab ipsomet Gregorio Pontifice derogatum, & abolitum fuisse in dubium reuocari haud potest cum anno 1584. & vltimo eius Pontificatus D. Theophilus Varesijs Mediolanensis ad regimen Ecclesiæ S. Remigij, Vicemodroni Diœcesis Mediolanensis a S. Carolo Borromeo Archiepiscopo promotus fuerit, qui actus non solum factum Principis contra tale decretum respicit, verum etiam factum santi Pastoris, qui vtique contra mentem Papæ dictum Canonicũ Regularem lateranensem prædictæ Ecclesiæ non præficisset, cum in catalogo sanctorum, Pontificis præceptis maximé in re graui inobedientes, non describantur, & ponantur, quia Apostata obedientiæ

voca-

vocatur, qui præcepta superioris, vel Sacrorum Canonum contemnit, & transgredit, vt notat *Farinac. in tract. de Heresi quest. 183. num. 53. & seqq.* Qui error in sanctissimo Præsule certe non irepsit, dum sudauit, & alsit pro manutentione immunitatis Ecclesiasticæ, & obseruantia Constitutionum, & decretorum summorum Pontificum, ita vt renuerit Clericos cogi ad seruanda ædicta per D. Gubernatorem Mediolani licet ob publicam vtilitatem condita vt narrat *D. Alesander sperellus in decis. 12. sub num. 20.*

Et quamuis etiam hoc decretum non esset apocraphum, seu irritum, tamen non omnes Canonicos regulares comprehenderet, sed tantum translatos, vt bene decreuit *S. Congreg. Concilij de anno 1602. & S. Concil. Trident. sess. 14. c. 11.* Capacitas enim beneficij Canonico Regulari lateranensi est illi naturalis, cum de sui natura fuerit institutus ad regimen animarum, nec hoc iure priuari potest, cum contra ius naturale nulla lex habeat locum, vt communiter dicunt Theologi, inter quos *D. Tho. part. 2. quest. 94. art. 4. & 5. & quest. 100. art. 8. & 22. quest. 66. art. 2. ad primum, & quest. 104. art. 4. ad. 2. Siluestr. in 4. distinct. 15. quest. 2. art. 1. verbo Papa, & fusè Suarez. de legibus, cap. 14. num. 5.*

Verum quia consuetudo in materia collationis

beneficiorum potissimum attendenda est, iuxta text. *in cap. cum Ecclesia Vulterana in fine de elect.* & notat ibi glos. in verbo *postulauit circa finem, & in cap. cum aliquibus in verbo ad eos lib. 6. Rota coram Caualer. decis. 97. num. 3. & 232. num. 1. part. 1. & decis. 299. num. 14. part. 10. rec.*

Cum præter dictam promotionem Canonici Theophili de Varesijs tractu successiuo, & interrupto ipsa Congregatio, & illius Canonici fuerint in possessione habendi, & obtinendi beneficia etiam curata, tam ante decretum Gregorij XIII. quam postea, & vsque ad presentē diem, inducta fuit consuetudo non solum longa vltra decem annos, quæ sufficiens est ad derogandam legem *glos. in c. vltimo de consuet. in 6. vers. consuetudo,* Ias. *in l. rem non nouam ff. de iudic. Suarez. de legib. lib. 4. cap. 17. num. 10.* sed etiam longissima nempe annorum 90. post Gregor. XIII. & vltra 500. ante ipsum ideo talis consuetudo vti lex omnino seruanda est *Pute decis. 176. in fine lib. 3.* eò maximé quia etiam immemorabilis concurrit, quæ facit Ius, & continet priuilegium vince, & superare iuris resistentiam, & præsumptionem *Rot. in decis. 193. per tot. coram Pænia, & signanter num 42.*

Corroborantur prædicta omnia ex collatione multarũ Ecclesiarum a suo instituto Canonicis regula-

gularibus lateranensibus, non obstante, quod esset in titulum Eminentiss. DD. Cardinalium erectę quę sane monacis nunquam collatæ fuere, & illas fuisse Parrochiales testatur *Baron. in vita Marcelli Papæ sub anno 309. tom. 3. pag. mihi 32. Hic fecit cæmeterium in via salaria, & viginti quinque titulos in Vrbe constituit, quasi Diæceses propter Baptismum, & pænitentiam multorum, qui conuertebantur ex paganis, et propter sepulturas Martyrum, &c.* & Ciacon. in vita S. Siluestri dicit, *quod bis, septem Regionarij præficiebantur, & duo Diaconi, qui essent Cardinales iussu Siluestri*, & tamen Ecclesia S. Crucis in Hierusalem Canonicis Regularibus lateranensibus à primæuo suo instituto tradita fuit, vt patet ex litteris Alexandri III. an. 1556. & 16. Kal. Maij *In primis siquidem statuentes vt ordo Canonicus, qui secundum Deum, et B. Augustini regulam, et institutionem ordinis S. Frigdiani ibi noscitur institutus perpetuis ibidem temporibus obseruetur, nec alius nisi in ipsa, vel S. Frigdiani Congregatione in eadem Ecclesia Cardinalis Presbyter ordinetur, &c.* & in alia constit. incip. *Ad hoc vniuersalis* in Bullar. Congregat. lateranens. pagin. 81. idem Pontifex ea quæ supra statuit, tam quo ad electionem Cardinalium, quam quo ad traditionem Ecclesiæ titularis Sanctæ Mariæ Nouæ. Ecclesia Sanct. Praxedis pariter fuit Canonicis Regularibus collata ex litteris Clementis III. incipien. *Cum nobis* in eodem Bullario

pag. 115. Item Ecclesia S. Potentianę per Adrianum IV. fuit eidem Congregationi concessa vt per eius Bullam, quæ incipit *Decor Domus* eodem. Bullar. *pag*. 78. Prout etiam ipsi Canonici Regulares lateranenses Ecclesias Cathedrales Perusinam, Eugubinam, & Thipherni gubernarunt licet prima *ann*. 1512. à Iulio II. fuerit secularizata cum secunda *an*. 1514. & tertia à Gregorio XIII. *an*. 1578. vt narrat *Vghellius in Italia Sacra*, vbi de dictis Eccles. sermonem habet Vir sanè tum in sacris, tum in prophanis, & historicis litteris versatissimus, omissis alijs, quas præter rellat. congerit *Zacchar. Ferrer. in suis allegat. ad Leonem X.*

Et hic non mirum si Cardinalis Anastasius Bibliothecarius Apostolicus in Catalogo, quem Carolo II. Gallorum Imperatori dicauit: 16100. & vltra martyres enumerat, decem enim millá (teste eod. Cardinale a Ioan. de Nigraualle in sua Cronica relato) in metropoli Cantauriense, qui ad generale Capitulum venerant in Ecclesia Episcopali S. Saluatoris pro fide Christi martyrio ab eisdem paganis coronati sunt. Confessores in Catalogo sanctorum adscripti sunt 4500. *Tot ego* (inquit idem Ioan. de Nigraualle) *per singulorum nomina partim ex Catalogo præfati Anastasij, partim ex Bibliotheca Romana transumere laboriosissimè conatus sum &c.* Pontifices eiusdem Congregatio-

gationis lateranēsis idem author enumerat 53. Cardinales 2767. Archiepiscopos 2715. Episcopos 20135. Abbates baculo pastorali, & mitra vtentes 100000. & vltra: Ecclesias Cathedrales, quæ adhuc restant in diuersis regionibus 500. & vltra, & sunt tam Archiepiscopales, quam Episcopales. Ecclesiæ vero Collegiatæ sunt 200500. & vltra, quæ sunt eiusdem ordinis cænobia scilicet, & Canonicę, quæ pro maiori parte sunt præpositurae, & prioratus-

Et Onuphrius de septem Vrbis Ecclesijs à Penotto in cronic. tripart. lib. 3. c. 4. §. 2. relatus ait *Priorem lateranensem* (qui erat Canonicus regularis lateranensis) *etiam Cardinales non Episcopos, in Romana Curia, dum ministerio Pontificis assistebat præcedisse*, *&c.* Ioan. à Nigraualle in sua Cronica inquit. *Quia ipsi sæculares Clerici a Regularibus originem habuerunt, & hoc patet Romæ per antiquam consuetudinem, & Apostolicas ordinationes, vbi Canonici regulares in Processionibus, & litanijs, maximè Ecclesiarum Parrochialium præponuntur omnibus Clericis, & Canonicis sæcularibus, exceptis illis Cathedralis*. Ex quibus monumentis satis constat, quantum in Ecclesia Dei semper Congregatio Canonicorum regularium lateranensium emicuerit, licet temporis malitia nunc tanti solis splendorem eclipsare contendat.

Prosequor destinatum opus, nec a veritate latum qui-

quidem vnguem abſcedo. Sacroſanctam Baſilicam lateranenſem per Canonicos Regulares lateranenſes fuiſſe diuerſis temporibus gubernatam multæ Conſtitutiones ſummorum Pontificum teſtantur; verum (breuitatis Cauſa) vnicam tantum allegabo, quæ eſt illa ſummi Pontifici Eugenij IV. quæ incipit *Cum ad Sacratiſſimam* in Bullar. eiuſdem Congregationis lateranenſis *pag.* 315. vbi non ſolum ſæpiſſimé Clericos appellat Canonicos regulares lateranenſes, ſed originarios dictæ Eccleſiæ lateranenſis, & dum diſponit dictam Baſilicam per eandem Congregationem, ſiue ordinem lateranenſem gubernandam fore inquit *Statuimus, ac decernimus, vt propria deinceps Religio, et dictę Eccleſiæ originalis ordo, et inſtitutio habeatur* vbi notandum eſt ordinem Canonicorum Regularium lateranenſium appellari ordinem proprium, & originalem dictæ Eccleſiæ, quia ab eius fundatione prędictis Canonicis in titulum data fuit quod ipſe Pontifex paulo ante dicta verba comprobauerat, dum dixit *Sacram Baſilicam per dicti ordinis Clericos per longa tempora ſanctè, et ſalubriter gubernatam fuiſſe certiſſima ſcientia, et verirate comperimus*. Et Volateranus in lib. 21. comment. Vrban. loquendo de hac reintegratione regiminis Eccleſiæ lateranenſis facta ab Eugenio IV. Canonicis Regularibus lateranenſibus inquit. *Nam eam Baſilicam annos prope* 800. *antea te-*

nuere Ex quibus non ſolum habetur encomium originis antiquæ Canonicorum Regularium lateranſium, dum nihil maiori encomio extollitur in populis, quam originem antiquam eis præbere. Vt Vlpianus Iure conſultus *in l.* 1. *de cenſibus* Syriam Patriam ea laude exornat nobilem Regionibus, ſerie ſæculorum antiquiſſimã. Arcades igitur ſe Sole, Luna, ac Aſtris priores gloriabantur *ex Statio lib.* 4. *Thebaidos*.

Arcades hinc veteres Aſtris, Lunaque priores.

Verum etiam immemorabilis conſuetudo habendi, & retinendi beneficia etiam curata. Dum concurrit tempus vltra centum annos, quod immemorabilem probat conſuetudinem *Put. deciſ.* 204. *num.* 3. *verſ. et immemorabilis lib.* 2. *in correct. Garz. de benefic. part.* 5. *c.* 9. *num.* 119. dum talis centenaria non includit rei initium *Seraph. deciſ.* 583. *num.* 10. *part.* 4. *diuerſ. et Rot. deciſ.* 245. *num.* 51. *part.* 9. *rec.*

quare Eugenius Papa ibidem contra malitiam temporis Bonifatij VIII. qui prefatos Canonicos ab ipſa Baſilica remouit inuehendo ait. *Cum autem per hoc pium et ſalutare Inſtitutum mundo in maligno poſito ex antiqua hoſtis inuidia fuerit perturbatum, et per felic. recordat. Bonifacium* VIII. *prædeceſſorem noſtrum quadam illius temporis malitiæ conſideratione immutatum, et per ipſum Patrum termini contra diuina præcepta translati noſcantur.*

Que

Quæ quidem Beatissimi Pontificis verba repeti possent contra huius æui malitiam si Canonici Regulares lateranenses incapaces beneficiorum sæcularium, etiam cum cura animarum declararentur, dum vti Canonici meruerunt per essentiam, & ex eorum ordinis institutione in Basilica lateranensi præesse quæ est caput aliarum Ecclesiarum, & Episcopatus SS. D. N. Papæ.

At quia flos vnus verem non producit allegato exemplo promotionis Canonici Theophili de Varesijs alia cumulabo, ac per annorum curricula Canonicos Regulares lateranen. beneficia obtinuisse, tã simplicia, quã curata nõ obstãtib. decretis in cõtrariũ allegatis ostendã. Et primo (in ordine ad eos, quorum promotio mihi cognita est) venit Nicol. de Alemania Archipresbyter Terrę Carpi, anno 1433. ad quam Ecclesiam an. 1437. Augustinus de Pisis se contulit, succeserunt inde diuersis temporibus alij ex prædictis Canonicis diuersis beneficijs præfecti, nempè Marcus Hieronymus Oida Cremonen. ad beneficium simplex S. Siluestri montis compatrum Diæces. Tusculanæ sub Leone X. Calixtus de Calcentis Placentinus Inquisitor generalis per totam Italiam, & concionator Apostolicus. Seraphinus de Salsis Ariminen. in Aleria Regni Corsicæ Archidiaconus, & Vicarius Generalis qualis pari-

ter

ter fuit Honoratusde Robertis Iuuentensis Neapolitanus Patauij tempore Illustriss. D. Marci Cornelij Episcopi. Seraphinus Collinus Venetus pensionatus sub Paulo V. super Episcopatu Clodiensi, tandem Rector Parrochiæ Arcis Palmæ; eodem tempore Io: Andreas Dardanonius titulo Abbatię sæcularis, & beneficio decoratus, Congregationẽ tamen egressus non est. Marcus Antonius Brixien; & Frigdianus Burlamacchius Lucen. Prothonotariatus dignitate insigniti: Valerius de Iulianis Nouariẽ. Rector Parrochialis,& Collegiatæ Trecaten Diæces. Nouarien. Ioannes de Stampis Mediolan. in Rectorem Ecclesiæ Varesi a S. Carolo Boromeo premotus. Lucas de Bolinis Nouarien. ad beneficiũ simplex Religionis Hierosolimitanæ. Felix de Nigris Lucen. ad beneficium simplex in Eccles. Parroch. S. Luciæ de Coscelli Dięces. Lucen. per Illustriss. Alexandrum Guidiccionum Episcopum promotus. Franciscus Iustinianus Venetus Canonicus in Cathedrali Polæ Iustinopoli, Valerius Rodda Alben. rector Parroch. SS. Galli, & Nicolai Corneliani Diæces. Asten. sub Clemente VIII. 1603. cui in hoc currenti sæculo comites fuere.

Augustinus de Zappis Imolen. Archipresb. Cocanilis in agro Ferrarien. Diæces. tamen Rauuenaen. conferente Eminentiss. D. Cardinale Aloysio

Cappono , qui , & promouit Petrum Damianum Zambellettum Rauuenaten, in Archipresb. Plebis ſeſtinæ in diſtrictu Cæſenaten. Petrus Pellizonius de Opitergio Eccleſiæ S.Luciæ præficitur. Laurentius Donatus Rauuenaten. Canonicus metropolitan. eiuſdem Vrbis an. 1639. Io: Chriſoſtomus merigus Canonicus Cathedralis Britinorien. Ioſeph Maria Eternus de Cęſena ad bene ficium ſimplex in metropolitana Rauuenaten. ad Altare Viſitationis B. Virginis. Riccardus Pellicionus ad beneficium ſimplex tandem ex prouiſione S. D. N. Papæ Innocentij X. fit Præpoſitus S. Zeni Papiæ. Iacobus Certanus conferente Eminentiſs. Cardinale Cęſare Fachenetto factus fuit Archipreſbiter S. Laurentij Runcitelli Sęnogalien. diæceſ. Franciſcus Iuſtinianus Venetus Canonicus in Eccleſia Cathedral. Iuſtinopolit . Franciſcus Montius Archipresbyter Conſandoli diæceſ. Ferrarien. Angelus de canalis Romanus Archipresbyter Portus maioris dięceſ. Ferrarien. an. 1658. Alexander de Noris cæſenat ad benefic. ſimplex in Eccleſia moniali͂u S. Blaſij in eadem Ciuitate. Alexa͂der fatibonus Cæſenaten. pariter ad beneficium ſimplex qui tandem. aliud quoque ſimplex obtinuit ab Illuſtriſs. Epiſcopo Marcellino - Athanaſius de Homine Placen. 1659. ad Archipreſbyteratum S. Nazzarij in Ciuitate Place͂tię

Pe-

Petrus Franciſcus Parmen. ad beneficium cum cu-ra. Paulus Aduocatus item ſimplex beneficium ob tinuit per ſententiam Illuſtriſs. Nuntij Apoſtolic Venetiarum. Hieronymus Petrobellus Vic. Gener. Taruiſien. 1636. Ioſeph. Pallauicinus Parmen. Canonicus Cathedral. Parmen. ex renunciatione Marchionis Caroli Patris 1657. Carolus de magnis Rauuenatẽ. ad beneficium ſimplex 1667. Aurelius Bergaminus Immolen. ad iuſpatronat. ſuæ domus in Ecclesia S. Mariæ de Oliua in eius Patria. Adeodatus Cremonen. Canonicus Cathedr. Mantuæ. Christopharus Ciccius ad Eccleſiam Parrochialem S. Io: Baptiſtæ loci de Fucecchio. Diæceſ. S. Miniati contra quem ſuſcitata lite per D. Franciſcum de Rinbgherijs, qui illius capacitatem oppugnabat poſt biennium diſcuſſo articulo coram R. P. D. Franciſco Maria Baranzono Locumtenente Illuſtriſs. D. A. C. ac in ſignatura plena Iuſtitiæ, & Gratiæ corã S. D. N. Papa Innocẽtio X. tandẽ die 23. ſeptemb. 1650. per ſententiã diffinitiuã eiuſdem Baranzonij capax declaratus fuit, & Poſſeſſionem Parrochialis Eccleſiæ cæpit die 10. Octobris eiuſdem anni per rogitum Ioan. Valerij de Galleris Notar. Public. Phocecchij. Patritius Saluolinus Meldulen. anno 1663. ad beneficium ſimplex Iuriſpatronat. ſuæ Domus. Pomponius de Spretis ad Prioratum S. Alberti Diæceſ.

Rauennaten. an. 1664. Angelus Ferettus Anconitanus fuit Primicerius Eccles. Cathedralis eiusdē Vrbis,& Augustinus Anselmus pariter beneficium obtinuit sub Pontificatu S. D.N. Papæ Clementis IX.& alij Innumeri Canonici ex eadem lateranensi Congregatione sunt, qui post decretum Gregor. XIII. beneficia sæcularia, etiam cum cura obtinuerunt; qua contraria obseruantia stante, & cursu longissimi temporis derogatio præsumitur, vt dicit *Rota in decis. 271. num. 8. part. 9. recent.*

Nec alia replicanda venit sagitta cum oppositione scilicet ad inducendam consuetudinem contra Canones, aut decreta summi Pontificis requiri scientiam Papę etiam quantocunque temporis spatio illa fuerit seruata. *Archid. in c. cum de beneficio num. 2. circa med. de preben. in 6. vbi Geminian. num. 6. S. Antonin. in sua sum. part. 1. tit. 16. cap. vnic. §. 2. ante fin.*

Quia talis scientia hic non desideratur, nam multa ex ipsis beneficijs collata fuere ab Eminentiss. DD. Cardinalibus, vt a S. Carolo Borromeo, Aloysio Cappono, Cesare Fachinetto, Litta, Ottobono Boncompagno, Ludouisio Columna, Rosetto Franciotto. Item ab Episcop. Meltio Papiæ Turregiano. Molza Mutinæ. Nembrino Parmæ, & cum illi essent ordinarij dum contulerunt beneficia, vice ipsius Pontificis illa contulisse

dicun-

dicuntur. *Rot. decis. 10. num. 11. part. 8. & decis. 329. num 13. cum alijs ibi relat. part. 9. recent.* & cætera ab Episcopis in eorum Diæcesibus collata pariter sciẽtiam Papæ inducunt, cum ipsi sint illius ministri satis enim adest scientia Principis ex quo adest scientia ministrorum illius, *Rota coram Penia decis. 103. num. 45.* vbi in puncto de scientia Papæ ministris mediantibus, *& in decis. 70. num. 23. part. 8. recent.*

Minusque releuat, quod hæc consuetudo, vt afficiat, requiritur vt in contradictorio Iudicio obtineatur *c. frustra distinct. 8. & ibi glos. Flamin. de resignat. benefic. lib. 3. quæst. 6. num. 28.* Nam pluries Canonici regulares lateranenses iudicialiter pro eorum capacitate obtinendi talia beneficia sententias diffinitiuas obtinuerunt cum contradictione eorum, quibus præiudicabatur ex quibus consuetudo inductiua introducta fuit. *Rota coram Penia decis. 525. num. 6.* vbi inquit ita pariter fuisse resolutum *in causa Romana offitij extimatoriatus die 9. octobris 1580. coram SS. D. N. Clemente* VII. *tunc Rotæ Auditore*.

Adest namque illa famigerata decisio in *Papiens. Iurispatronatus die Veneris 6. Martij 1598. coram Eminentiss. D. Cardinale Seraphino* quæ inter eius impress. *est decis. 1269.* vbi conclusum fuit Canonicum regularem cum licentia sui superioris posse prouideri de beneficio curato sęculari, annuente quoque *S. Concil.*

cil. Trident. in sess. 14. *cap.* 11. & alias etiam tenuisse Rotam referente *Guidobon. decis.* 96.

Cui decisioni multum deferendum est pro derrogatione decreti Gregor. XIII. dum post illud emanauit, cum possit declarare Rota an sub aliqua constitutione reseruatoria beneficia comprehendãtur *Rota decis.* 172. *num.* 5. *part.* 4. *tom.* 2. *rec.* Et ita cum adsint Rotæ decisiones non est amplius dubitandũ, nec insistendum in perquirendis rationibus, aut enumerandis D.D. auctoritatibus, vt scribit *Petr. Caball. cons.* 60. *num.* 7. *part.* 1. cum in ea sedere soleant Iure consulti Eminentissimi & Decisiones eorũ habeant vim legis, vt copioso calamo scripsiit *Barbos. in Sum. Apostolic. decis. tom.* 2. *lib.* 3. *vot.* 124. *n.* 10. *& seqq.*

Accedente præcipue decisionem emanasse tempore S. D. N. Papæ Clementis VIII. qui eadem quę per Rotam fuerunt decisa ad fauorem Canonicorũ regularium lateranensium sua constitutione confirmauit, quæ incipit I*niunctum nobis* in Bullar. Congregat *pag.* 616. dum illos esse beneficiorum secularium capaces decreuit. ex qua. Constit. Gregor. XIII. irritam esse patet cum posteriora prioribus de rogare soleant *Rota coram Peña decis.* 479. *num.* 4.

Consuetudo quoq; iudicialiter inducta fuit per sententiam Illustris. Nuntij Apostolici apud Serenissimam Venetam Rempub. ressidentis *die* 14. *Nouembris*

uembris 1635. ad fauorem præfati Pauli de Aduocatis Brixien. de beneficio simplici. Concurrit illa D. Laurentij Capponi *sub die* 20 *Septembris* 1636. ad fauorem Ioan. Papinij, ac D. Vicarij Generalis Teruisini *de anno* 1639. ad fauorem Hieronymi Petrobelli Veneti, & nuper illa R. P. D. Baranzoni de *anno* 1650. corã S. Papa Innocẽtio X. ex quibus iudicialibus actis satis iustificatur cõsuetudo inductiua habendi beneficia sæcularia etiam curata, & illa pro lege est obseruanda *Rota apud Cassador. dec. 2. de vnion. n. 7. Mandos. ad regul. cancellar. 24. quest. 2. num. 2. Garz. de benefi. part. 1. cap. 5. num. 120. cum alijs relat.* per Rotam *in decis. 1. num. 10. part. 9. recent.* Proinde.

Aut acres tendunt arcus: aut lenta lacertis.
Spicula contorquent ---------

Phyrri Corradi argumenta dum ad iuducendã incapacitatem Canonicorum regularium lateranensiũ ad beneficia sęcularia etiã curata illorũ Capitulo generali permittẽte allegat concordata per Pontificẽ Maximum Leonem X. in Cõcilio lateranensi.

Pace tamen tanti viri dixerim non sufficienti nititur ratione, & plurima adducit quæ ad rem nostram nihil facere videntur. Quippe in §. 6. *concordat* talia leguntur verba. *In dicto Regno Delfinatus, & comitatu Dien. & Valentinien. infrascriptæ obseruentur constitutiones.* Ex quibus satis liquet Pontificem tantũ voluisse

obli-

obligare ad obseruandas constitutiones, illos qui in Regno Galliarum, & in Prouincijs expressis morabantur, non autem alios extra Regnum, & Prouincias illas existentes, quia leges, siue constitutiones non sunt vniuersales, sed particulares, & locales dicti Regni, & Prouinciarum, & sic non extendendæ extra prædictum Regnum, & Prouincias *Suarez. de legibus lib. 3. cap. 32. num. 3. Less. de iust. lib. 4. cap. 3. dub. 8. Busemb. lib. 1. tract. 2. cap. 3. de præcept. in genere dub. 2. Siluestr. verbo excommunicatio 2. num. 7. cap. vt animarum de constit. in 6. Couar. in c. Alma Mater 1. part. §. 10. num. 3. Lopez. part. 1. inst. cap. 52. §. nec peccant Sanchez. lib. 3. de matrim. disput. 18. Mand. de inhibit. quest. 108. num. 5. Rota decis. 238. num. 15. part. 6. rec.* & faciunt tradita *per Thomat. decis. 173. num. 32. Rota decis. 584. num. 28. part. 5. tom. 2.*

Quando enim verba constitutionis sunt clara non admittunt extrinsecam interpretationem violantem textum *Crauet. cons. 4. num. 21. Rota decis. 261. num. 6. part. 5. Demum.*

Et summo Clypei necquicquam vmbone pependit.

Decretum Sacr. Congregat. EE. Cardinalium negotijs Episcoporum, & Regularium Prepositorum *in vna* Cremonen. 1. *Septembris* 1603. in hæc verba *Canonici Regulares non obstante cap.* quod Dei timorem *non admittuntur ad curam Parrochialium Ecclesiarum absque*

Sedis

Sedis Apostolicæ dispositionem. quod est relat. per Barbos. in tom. 2. de Iure Ecclesiast. lib. 3. cap. 4. num. 80. versus finem.

In contrarium enim adest decretum *Sacræ Congregationis E. E. Cardinalium Concilij de anno* 1602. tenoris vt sequitur. *Congregatio Concilij censuit decretis eiusdem Concilij Canonicum Regularem non prohiberi obtinere beneficia curata sæcularia nisi fuerit ex his translatis, de quibus habetur decretum cap. 11. sess. 14. Hieronymus Card. Mattheius*. quod est impress. inter priuileg. Canonic. regular. lateranen. pag. 625.

Verum qnia ex duobus de directo contrarijs positis necessarium est alterum esse falsum, vt inquit *Aristot. in. 2. thopic. & est tex in l. si pupillus* 12. §. *Item si pluries ff. de instit. action. l. 1. C. de furt*. ne hoc de his decretis asseram mediante quadam distinctione hanc discordiam, concordia mederi spero nam ad euitandã contrarietatem distinctio est salutaris medicina *ad text. in l. inter stipulantem ff. de verb. obligat*. & ratiocinatur *Bartol. in l. hæc quæ num.* 13. C. *de summa Trinitat. & fide catholic*. vnde inter contrarias opiniones ea plene sequenda venit quæ distinctionem conciliat, vt facit *text. in l. videndum in princ. ff. de petit. hered. & not. in l.* 1. C. *de inoffic. testam. & in cap. cum expediat de elect. in* 6. *& can. periculosè de pæn. distinct.* 1.

Animaduertendum ergo erit Decretum S. Con-

gregat. Epiſcop. & regul. non eſſe contrarium illi S. Congregationis Concilij nam illud abſolutè non prohibet omnes Canonicos regulares admitti ad curam Parrochialium Eccleſiarum, abſque Sędis Apoſtolicæ diſpenſatione, ſed tantum hoc interdicit Canonicis regularibus de vno ſtatu ad aliũ tranſlatis.

Et ſic videtur quod non obſtante *capite quod Dei timorem de ſtatu monachorum* Canonicus regularis lateranenſis ſit incapax beneficij æccleſiaſtici ſęcularis etiam cum cura animarum quia talis tranſlatus tunc cenſetur eſſe diuerſæ conditionis, & ideò iuremeritò diſpenſatione Sædis apoſtolicæ indigere contenditur cum homines diſparis profeſſionis non debeant in eodem collegio aſſociari *cap. in nona* 16. *queſtion.* 17. *& in Clement.* 1. *de electione Abbas in dicto cap. Quod Dei num.* 5. *verſic. alij tenuerunt contra* & hoc annuit S. Conciſ. Trident. *in ſeſſion.* 14. *cap.* 11. vbi Prælatis, vel ſuperioribus cuiuſcumque ordinis prohibetur aliquem ad habitum, & profeſſionem admittere niſi vt in ordine ipſo, ad quem tranſfertur ſub ſui Superioris obedientia in Clauſtro perpetuò maneat.

Vnde cum diſtinctio, & interpretatio primi decreti ſecundo Sacræ Congregationis Concilij

lij de translatis congruat, & verificetur in vtroque decreto, illa est sequenda, vt contrarietas euitetur, pro qua tollenda quælibet interpretatio admittitur etiam verba impropriando *cap. inter dilectas de fid. instrum. Rota decis. 429. numer. 25. part. 5. tom. 2. decision. 397. numer. 22. part. 9. decision. 232. numer. 9. part. 10. recent. & post Conc. de censibus decision. 560. numer. 2. & alibi sæpissimè.*

Et hanc distinctionem comprobauit S.D.N. Alexander VII. qui anno 1654. Saluatori Carduccio sacerdoti professo societatis Iesù, (virtutibus omnibus vndique redolentis) cum ad Congregationem Canonicorum regularium lateranēsium trāslatus esset, eidem, suo diplomate concessit, vt nō obstante *c. 11. sess. 14. Conc. Trid.* frui, & vti posset iuribus & priuilegijs, quibus fruuntur, & vtuntur Canonici non translati, quorum differentia, cum in alio non consistat, nisi vt translati beneficiorum sæcularium etiam cum cura sint incapaces, non translati vero capaces, dubitandum non est decretum S. Congregat. Episcopor. & regular. tantum translatos comprehendere, & illis solum dispensationē Apostolicā esse necessariā, dum Summus Pontifex concessit facultatē vtendi, & fruēdi iuribus, & priuilegijs, quibus vtuntur, & fruuntur Canonici nō translati, qui ex ipsa declaratione beneficiorum sunt capaces

cum Papæ declarationi ſtandum ſit *Cavaler. deciſ. 612. num. 52. Rota in recent. deciſ. 281. num. 5. part. 1. cum alijs relat. per* Rot. *in deciſ. 10. num. 17. part. 8.*

Sed ſi quis incaſſum ſubſtinere intenderet decretum S. Congreg. Epiſcop. & regular. etiam Canonicos lateranen. regular. comprehendere pro illius inualiditate Clypeum opponere mihi neceſſe erit; dum Summus Pontifex Clemens VIII. anno 1595. orto diſſidio inter Abbatem S. Petri Cremonæ Congregationis lateranenſis, & Vicarium Generalem Epiſcopi Cremonenſis, eò quia prædictus Abbas amoto Presbytero ſæculari ab Eccleſia Parrochiali S. Pauli eiuſdem Cremonen. diæceſis volebat Canonicum regularem lateranenſem ſui ordinis dictæ Eccleſiæ præficere, renuebat autem ipſe Vicarius Generalis, quippé qui Presbiterum ſæcularem eſſe promouendum prætendebat, dum Sacerdos ſæcularis ipſi Eccleſiæ preſidebat, ipſe ſummus Pontifex ad tollenda ſcandala, & iurgia in Eccleſia Dei Cauſa ſibi auocata, S. Congregationi Epiſcop. & Regularium commiſit, vt auditis partibus merita Cauſæ ſibi referret; quaré referente eademmet S. Congregatione, idem ſummus Pontifex Clemens VIII. diffinitiuè per Breue ſpeciale declarauit *Canonicum regularem lateranenſem æquè, ac Præsbyterum ſæcularem eſſe capacem, ac promouendum ad regimen ipſius Eccleſiæ Parrochia-*

lis

lis S. Pauli Cremonen. diæcesis, vt comprobatur ex ipsa met eius constitutione, quæ incipit *Iniunctum nobis*, quæ adest registrata in Bullar. eiusdem Congregationis *ad pag.* 616. Quare si dicatur decretum super incapacitate referri ad Canonicos regulares lateranenses etiam non translatos, vtique affirmandum erit predictos Canonicos tanquam nullum, nõ afficere dummodo non sint translati, nam appositio manus Papæ impedit inferiores se amplius in negotio ingerere. *cap. cum inferior de maiorit. & obedient. cap. 2. de offic. legat.* Rota *decis.* 113. *num.* 3. *part.* 8. *rec.* quicquid enim Papa confirmat nemo infirmat, vt inquit *Bald. in l. rescripta, num.* 4. *C. de precibus* Imperat *offeren. Dec. in cap. cum accesissent num.* 44. & 45. *de constit. Card. cons.* 16. *num.* 4. *Gemin. in cons.* 30. *num.* 7.

Concurrente præcipué in eadem constitutione clausula sublata, &c. & decreti irritantis, quæ claudit os parti, & ligat manus Iudicis aliter iudicandi *Rot. decis.* 26. *num.* 11. *part.* 8. & *decis.* 107. *num.* 5. *cum alijs ibi allegat. part.* 9. *rec.* & *latè Barbos. in claus.* 175. *per tot. vbi sub num.* 7. *ait* Iudices omnes quauis dignitate fulgentes, etiam S. R. E. Cardinales comprehendi sub hac clausula.

Neque obstat exceptio per Illustriss. D.. meum Fagnanum allata *in* 2. *part.* 3. *decret. cap. Quod Dei timorem de stat. Monach.* talem nimirum prouisionem Ec-

clesiæ S. Pauli fuisse prouisionalem quia de anno 1575. Papa mandauit, vt scriberentur litteræ ad Cardinal. S. Praxedis, vt si monasterium prædictum S. Pauli non esset valdé pingue, & ex regularibus inueniatur aliquis idoneus ad hanc curam exercendam eum assumat potius, quam sæcularem, & Vicarium amouibilem constituat arbitrio superiorum suorum, quia hæc sagitta Clypeum manutentionis infringere non valet, nam postea de anno 1595. coram summo Pontifice Clemente VIII. fuit discussum (vt ex ipsa constitutione apparet) an Canonico Regulari lateranensi liceret habere regimen Ecclesiæ Parrochialis S. Pauli in diæces. Cremonen. & ille esset capax illius beneficij (quod videbatur sæculare) cum ibi præesset Presbyter sæcularis, & sanctissimus sua constitutione illius capacitati annuit, dum illum in possessionem prædicti beneficij immisit, ex quo actu tollitur omnis exceptio, quod esset prouisionalis, quia sententia Papæ habet vim legis, & facit ius quoad omnes similes causas *Barbos. in collect. Iuris Pontif. tom. 1. lib. 2. tit. 27. de sentent. & re iudicat. cap. in causis 19. uum. 3.* cum alijs ibi per eum congestis, eo maxime quia in ipsa constitutione Papa vsus est verbis *licitum sit*, quæ excludunt dispensationem dum sunt potestatiua non autem necessitatiua *Put. decis. 8. lib. 2. et coram Seraph. decis.*

739.*num.*3. Accedente pręcipué mandato in virtute Sanctæ obedientiæ ne Abbatem,& Canonicos prędictos super hoc vlterius *de cætero* molestare, vel pertubare præsumat. Quæ clausula de cætero facit cessare obiectum, quod collatio Ecclesiæ Parrochialis esset prouisionalis, quia præsuponit id, quod futurum est cum verificatione præteritorum Rota,decis. 190. num. 3. lib. 2. & 195. num. 5. lib. 3. part. 3. diuers. Rub. in clausul.254.num. 2.

Et cum declaratio capacitatis beneficiorum sæcularium, etiam cum cura animarum ad fauorem vnius ex Canonicis regularibus lateranensibus ex sententia Papæ emanauerit, vtique singulos comprehendit, vt Summi Pontifices in eorum constitutionibus declarauere, nempè *Iulius* II. *in constit. quæ incipit* inter cæteros *in Bullar. eiusdem Congregationis pag.* 397. *Martinus: V incip. Memoriam sollicitudinis pag.* 302. *Nicol. V. in bul. incip. memtriam sollicitdinis pag.* 302.

Tum etiam decretum Sac. Congregationis Episcoporum, & regularium de anno 1603. non ligat Canonicos regulares lateranenses non translatos quia de anno 1602. S. Congregatio Concilij decreuerat illos non prohiberi obtinere beneficia curata sæcularia, vnde si hoc decretum derrogare voluisset, vtique necesse erat, vt S. Congregat. Episcop. &

Regu-

Regular. adderet non obſtante decreto an. 1602. S. Congregat. Concilij alias ſi ſine hac clauſula ad nō translatos eſſet extendendū ſequeretur, quod à vitio nullitatis ſaluari haud poſſet, nam ſententia, contra ſententiam, vt valeat debet in poſteriori prima reuocari *Rot. deciſ. 26. num. 2. deciſ. 130. num. 11. deciſ. 223. num. 3. part. 7. & deciſ. 156. num. 6. & deciſ. 354. num. 10. part. 9. & deciſ. 220. num. 7. part. 10. rec. & coram Penia deciſ. 280. num. 3. Caualer. deciſ. 31. num. 1. Merlin. deciſ. 119. num. 6. & alibi.*

Cum igitur in ipſo poſteriore decreto anni 1603. nulla adſit clauſula derrogatoria præcedentis anni 1602. D. Fagnano, nec alijs quamuis in iure Pontificio verſatis illud interpretare, diſcutere, & derrogare licet, ne Illuſtriſs. DD. Sacræ Rotæ Romanæ Auditoribus, præſtantiores ſe faciant, dum Rota determinationes S. Congregationis Eminentiſs. Cardinalium Concilij interpretum ſemper reuerēter ſuſcipit, atque obſeruat abſque vlla diſcuſſione *Rota coram Card. Caual. deciſ. 627. num. 8. Burat. deciſ. 470. num. 2. in fine, & in rec. deciſ. 321. num. 3. & deciſ. 348. num. 12. part. 10.* cum dictæ Congregationis determinationes non ſit ambigendum, quin pro lege ſeruari debeant *vt inquit Rota in dicta dec. 321. n. 2.*

Contra concluſiones tot auctortiatibus roboratas in hoc manutentionis Clypeo.

Telnm

Telum immane, manu valida quod forte gerebat.
vnusquisque ex sagittarijs librat; sed tandem canet.
Heu patior telis vulnera facta meis.

Et primo loco arcũ remittit Hierony. *Gonzal.glos.7. super* 8.*Regul cancellar*.vbi inquit sæcularia præsumuntur in dubio omnia beneficia,nisi regularia probentur, quia postquam Diuus Petrus fuit sæcularis prę-sumitur fuisse sic fundata beneficia sequendo illum primum Patronum, & primum statum.

Succedit secundo loco Augustinus *Barbos.in tom. 2.de iure Ecclesiastico Vniuerso lib.3.c.4.n.*41.qui cumesset Clericus sæcularis, ab opinione Gonzal. non recedendo.In dubio omnia beneficia sæcularia prę-sumi attestatur ea scilicet ratione, quia cum S.Dionysius Papa omnium beneficiorum titulos instituerit, & ipse non regularis, sed sæcularis fuerit talia præsumuntur beneficia omnia qualis fuit eorum auctor. Nulla prorsus est consequentia.

Nugæ sunt ad nauseam,& puerascentis quisquiliæ ea quæ Gonzales affirmat, & Barbosa eius assecla confirmat.

Primus enim D.Petrum sæcularem fuisse indicat; si autem intelligit de statu Petri ante Apostolatum, & Pontificatum concedo, quia, & ipse vxoratus fuit, vt idem *Barbos.in cap.prius, quam distinct.* 28.*num.* 3.*inquit*. Si vero illum desiderat Clericum sæcula-

rem in Apoſtolatu, & Pontificatu id nego, nam Apoſtoli, & ipſe Petrus fuerunt Canonici regulares, vt multis rationibus ſupra oſtenſum, & probatum fuit. Quibus addo nunquid Petrus imperfectionis immitator fuit? abſit, quia Chriſti fuit pediſſequa, & Diſcipulus, ideoque iuxta magiſtri diſciplinam, vt perfectus eſſet omnia reliquit, & nil proprium habere voluit, vt *S. Clemens Papa in Epiſt.* 5. affirmat dum ait *Apoſtoli, eorumque diſcipuli, vt prædictum eſt vna nobiſcum, & vobiſcum communem vitam duxere*, & ſané ſi D. Petrus, cęterique Apoſtoli eorumque Diſcipuli ſæculares Clerici fuiſſent, ad quid S. Marcus in Oriente, D. Iacobus in Hiſpania S. Auguſtinus in Africa, Gelaſius Romæ, Auguſtinus Anglus in Angliæ Regno, Vbaldus, & Herculanus in Italia, Petrus Bracharenſis in Lituania, Patritius in Hibernia, & Irlanda, & per vniuerſum Orbem alij ſancti Viri inſudaſſent, vt Clericos ad vitam regularem iterum reuocarent, vel ſub ipſa inſtituerent? Non ne Concilium Romanum ſecundum ſub Alexãdro II. Clericos ſæculares ad vitã regularẽ reuocauit? non ne Petrus dixit Chriſto. Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid erit nobis? per quæ ſatis conſtat Petrum, & alios Apoſtolos, eorumque Diſcipulos non ſæculares, ſed regulares fuiſſe.

At quia abyſſus abyſſum inuocat ipſe *Gonzales in*

d. gloſ.

d. glos. 7. *num.* 3. assignando rationem cur beneficia debeāt potius esse sæcularia, quam regularia in hęc verba prorumpit *Et interest Episcoporum, quod beneficia sint sæcularia, vt sit illis libera conferendi facultas, cui velint, & non adstringantur conferre regularibus, & diminuatur potestas &c.* Ergo Ecclesia, quæ dicitur Mater Pauperum *cap. super prudentia ante finem* 14. *quest.* 2. beneficia Ecclesiastica, quæ dicuntur panis Pauperum *Gomez. in tract. de expectatiuis num.* 75. *ad finem* benemeritis non conferet?

Non ne regulares sunt illi agricolæ, qui pondus diei, & estus in vinea Domini portant, litteris, & studijs laborantes? erunt ergo pro bonis operibus lapidandi, dum labor non debet esse sine remuneratione, & præmio? *cap. fin. & ibi glos. verbo laborem* 7. *quest.* 1. *Petrus de Vbald. de Canon. Episcop. vers. quoad secundam questionem n.* 27. *Rodoan. de spolio Ecclesiæ quest.* 7. *§. occurrit n.* 4. Demum ne diminuatur potestas conferendi beneficia erunt Canonici regulares lateranenses illorum incapaces, cæterique regulares a Vinea Dei sabaoth. expellendi? absit: alias esset canonizare illam impij Machiauelli sententiam quam conuiciosé contra alios regulares protulit temerarié nempe. *Hos sacros ab Ecclesia, & Orbe esse eliminandos.*

At ad institutum Clypeum redeo, & contra Barbosam proprijs verbis vtendo, sic argumentor.

Sanctus Dionysius Papa omnium beneficiorum titulos instituit, at ipse non sæcularis, sed regularis fuit, & talia præsumuntur beneficia omnia, qualis fuit eorum auctor ergo omnia beneficia sunt regularia.

Maior a Barbosa conceditur, & probatur etiam á Baptista Platina in vita eiusdem Pontificis, in qua habetur ipsũ statim, atque ad Pontif. assumptus fuit Ecclesias, & Cæmeteria Vrbis inter Presbiteros diuisisse, & extra Vrbem Parrochias, & diæceses distribuisse, limites ponendo, vt vnusquisque suas regeret, & gubernaret.

Minor aduersus Barbosam ab ipso *Platina probatur, & à Baronio, qui in tomo 2. Annal. pag. mihi 403. inquit: Cessit Episcopatus Sixti dies triginta quinque, substitutus et in locum eius die duodecima Septembris Dionysius ex monacho, solitariã enim vitam aliquando egit.*

Consequentia vero aliqua probatione non indiget dum ipsemet Barbosa confitetur tali presumi beneficia omnia. qualis fuit eorum auctor cum confessione propria non detur maior probatio *Rota decis. 228. num. 4. & decis. 390. num. 4. part. 4. tom. 2. decis. 24. numer. 14. decis. 54. num. 8. part. 7. rec. & alibi.*

Cum itaque omnia beneficia ab auctore, & institutione qualia sint probentur, & hæsitandum

non

non sit a Papa Monacho fuisse instituta sequitur per consequens, quod illa sint regularia, & nisi contra iustitiam posse declarari Canonicos Regulares Lateranenses incapaces pro illis obtinendis, & retinendis, etiam si sint cum cura animarum obtenta à capitulo Generali licentia (dummodo non sint de illis translatis) eum Clerici sæculares tantum ad regularia beneficia sint inhabiles. *vt per valet. Reginald. in praxi fori pænit. lib. 30. tract. 3. num. 158. Sanch. in præcept. Decalogi tom. 2. lib. 7. cap. 29. num. 28. quas refert Barbos. in collect. iur. Pontif. tom. 2. lib. 3. tit. 13. cap. possessiones num. de reb. Eccles. alien. vel non.*

Et en à primo vsque ad vltimum argumentum nostrorum aduersariorum probata capacitas Canonicorũ Regularium Lateranensium non translatorum obtinendi, & retinendi cum licentia capituli Generalis beneficia sæcularia etiam curata, quia ab eorum institutione a SS. Apostolis prouenientes sunt per essentiam Clerici, & ab ipsis originem Clerici Sæculares a regula deuiãtes traxerunt. Tum etiam ex habitu, & professione, quia habitum clericalem induunt, quo Clerici primitiuæ Ecclesiæ vtebantur, & Summus Pontifex quotidie induitur, ac Apostolos immitantes professionem emittunt, nec ex eo quod in Monasterijs viuant desinunt esse Clerici, nam ij, viuere debent communi-

ter

ter, & in clauſtris abſque quod Monachi efficiantur. Nec ei obſtat *Concil. Trident. in ſeſſ.* 14. quia loquitur de regularibus monachis, qui nõ ſunt Clerici per eſſentiam, & de Canonicis regularibus lateranenſibus translatis ad aliam religionem. Minuſque afficit explicatio facta a Pyrrho Corrado impropriando verba profeſſionis, vt ſcilicet Canonicus regularis lateranenſis reſeruet ſibi ius acceptandi beneficium alterius Religionis, non autem ſæculare, nam verba profeſſionis non ſunt ad libitum perſonarũ explicanda, ſed ad fauorem libertatis humanæ, maximè ſi iuri cõmuni non repugent interpretatio. *Laym. de vot. & vot. relaxat. tract. 5. n. 4. Suar. de cenſ. diſp. 40. n. 15. Sot. de iuſt. lib. 7. queſt. 3. art. 2. Villalob. tom. 1. tract. 1. difficul. 21. n. 2. Fauſtus in theſ. relig. lib. 1. queſt. 23. n. 4. Sanch. de matrim tom. 1. lib. 1. diſp. 9. n. 11. & in ſum. tõ. 1. lib. 4. c. 1. n. 16. Reginal. tom. 2. lib. 18. n. 176. Henriquez. lib. 8. c. 45. n. 3. in gloſ. littera P. Fill. tom. 2. tract. 21. c. 4. n. 165. Auil. de cenſ. par. 7. diſput. 2. dub. 5. concluſ. 2. Fagund. 1. 2. lib. 2. cap.. 1. num. 10. Aluar. in 1. 2. queſt. 19. art. 6. diſput. 79. num. 5. Medid. in ſum. lib. 1. cap. 14. §. 7.*

Alias poſſet quis obligari ad aliquid ſupra vim voti, & ſic per conſequens talis profeſſio eſſet nulla ex defectu voluntatis vouentis, & non eſſet profeſſus ſed poſſet ad ſeculum reddire, & etiam vxorem ducere niſi eſſet ſacerdos, nec in foro conſcientiæ pec-

caret

caret, nec religionem ſequi teneretur licet pluſquã annorum quinque ſpatium in religione conſumaſſet *Nauar. de regul. cõſ. 89. n. 6. lib. 3. & coment. 4. de regul. n. 74. §. aduertendũ quarto & in lucerna reg. verbo profeſſion. 11. & 12. Dian. trat. 10. de leg. reſol. 27. §. itẽ de retũ Grat. diſ. 413. Laym. tract. 5. c. 5. de ſtat. relig. num. 7. §. deinde.*

Et contra ſententiam Corradi facit etiam conſtitutio Pauli IV. quæ incipit *Poſtquam* (licet reducta ad terminos iuris communis poſt biennium a Pio IV. per bull. incip. *Sedis Apoſtolicæ*) & eſt in bullar. in ordine 14. vbi diſponit regulares priuari quibuſcunque beneficijs Eccleſiaſticis obtentis, extra clauſtra ſuorum regularium locorum cum cura, & ſine cura ſæcularibus, aut ſui, vel cuiuſuis ordinis regularibus: tamen *in* §. 2. declarat conſtitutionem procedere contra illos, qui profeſſionem puré, & libere emiſerint. Ergo Canonici regulares lateranenſes, cum profeſſionem emittant non puré, & liberè, ſed cum conditione acceptandi beneficium extra ordinem cum cura, vel ſine cura non ſunt verba eorum profeſſionis coarctãda ad beneficium tantum regulare alterius religionis, dum præfatus Summus Pontifex etiam ad beneficia ſæcularia admittit, qui profeſſionem conditionaliter emittit.

Nec pariter opitulatur decretum Gregor. XIII. quia cum id fuerit primo loco a Gonzales relatum,

non maiorem fidem conciliari posset alijs auctoribus, qui illud referunt, quam habebat idem auctor principalis. Verum ipse Gonzales in posteriori editione mihi de anno 1611. Romæ ex Typographia Iacobi Mascardi de veritate melius doctus, & certioratus priorem sententiam retractauit, & mutauit in fauorem eorundem Canonicorum *in d. glos. 7. sub num. 55. vers. cæterum*. Vnde eius asseclæ, qui errantem secuti sunt debent etiam sequi emendantem sententiam. In opinione enim DD. non est faciendum fundamentum si in ea fluctuarunt cum sibi ipsis contradicant, & fidem auferant, vt habetur in annot *ad decis. 636. sub num. 30. part. 4. tom. 3. recen.* Præsertim cum voluntas Gregor. XIII. nulla lege, vel constitutione desuper relicta expirauerit cum eius morte, vt inquit *ipse Gonzales in fine. d. glos. 7. super Regul. 8. Cancell.*

Neque concordata Leonis X. afficiunt, tamquam localia, nec decretum S. Congregat. Episcop. & Regular. anni 1603. quia loquitur de translatis, nec illud anni 1602. derrogat concurrente ptæcipué illa veritate quod omnia beneficia fint regularia ex ipso institutore, & Auctore Papa Dionysio, qui monachus fuit, ac consuetudinem immemorabilem per tot sæcula, qua Canonici Regulares lateranenses cum licentia Capituli generalis

extra

extra ordinem beneficia Ecclesiastica sæcularia, etiam cum cura animarum obtinuerunt, & retinuerunt, ex quibus beneficiorum collationibus effectuatis, illis manutentio competit, cum per eas, quasi possessio iuris habendi, & retinendi beneficia sæcularia etiã curata acquiratur *Ioannes Silua de benefic. 2. part. quest. 7. num. 7. Ripa in cap. cum Ecclesia sutrina sub num. 93. vers. 6. requiritur de caus. possess. Rebuff. super concordat. in rubr. de annatis in glos. verbo possessionem vers. sexto quod electus* Rocchus *de curte de iurepatronat. verbo competens num. 37. & latè Gonzal. super Regul. 8. Cancellar. glos. 45. §. 2. num. 37.*

Et manutentio non solum datur in prophanis, & iure sæculari, & inter laicos, sed etiam inter personas Ecclesiasticas, & in beneficialibus, Ecclesiasticis, & spiritualibus *Cancer. var. resolut. cap 14. num. 7. & per tot. part. 3. Fontanell. de pact. nupt. claus. 7. glos. 3. part. 10. num. 47. & 48. tom. poster. Post. de manuten. obseruat. 10. num. 88.*


Cumque modo multi ex ipsis Canonicis Regularibus Lateranensibus sint in possessione beneficiorum sæcularium, etiam cum cura, cum licentia Capituli generalis, & his mediantibus ipsa Congregatio Lateranensis vltra possessionem, habeat etiam iuris asistentiam pro se (stante immemorabili consuetudine), & decretum EE. Cardinal. S. Congreg.

Concilij de anno 1602. ipsa Congregatio, & eius Canonici sunt manutenendi in ipso Iure, & quasi Possessione obtinendi, & retinendi cum licentia Capituli Generalis beneficia Ecclesiastica sæcularia etiam Curata tam intus, quam extra Ordinem *Rot. post. 2. vol. cons. Farinac. decis. 291. num. 15. & penes Pacif. de Saluian. interdict. decis. 42. num. 5. Caualer. decis. 487. num. 1. cum alijs cumulatis. per Post. in tract. de manut. obs. 45. numero 1.*

Et quamuis modo has contrarietates Congregatio lateranensis eiusque Canonici Regulares patiantur, tamen eorum ius obtinendi, & retinendi intus, & extra ordinem beneficia Ecclesiastica, etiam curata, cum licentia Capituli generalis, Deum veritatis defensorem procteturum esse confidimus.

Partus, qui festinanter in lucem prodit, facilè in abortum vertitur. Ne mireris ergo, si multi in hoc libello irrepserunt errores, qui auctorem offendunt; non enim manus scribentis, sed componentis Typographi, celeritatis causa, in culpa fuit. Habeas ergo me excusatum, dum stimulis pressus, clausis oculis, cursum arripui; & memento, currenti, non procul esse lapsum. Valè.

83



00564707З

